

BENEDICTI CLEMENTIS
DE AROSTEGUI
DISSERTATIO

IN SACRA HUJUS URBIS ACADEMIA RECITATA

QUA

APOSTOLI

JACOBI MAJORIS

PRAEDICATIO HISPANIS VINDICATUR.





NEAPOLI MDCCLXIII.

EX TYPOGRAPHIA SIMONIANA.

SUPERIORUM PERMISSU.

CAROLO III.

HISPANIARUM, NOVIQUE ORBIS

REGI CATHOLICO

PIO FELICI AUGUSTO:

BENEDICTUS CLEMENS DE AROSTEGUI

MAJESTATI EJUS DEVOTISSIMUS.



Uanta ſit hominum frequentia, REX CLEMENTISSIME, qui, ut Numini Majeſta-

tique Tuae obſtrictiores devotioreſque videantur, ea omnia, quae pro ingenii viribus memoriae produnt, Tibi dicare, tuoque ſub Auguſtiſſimo Nomine promulgare certant ſtudentque, nemo omnium ignorat. Ego vero ut id ipſum honoris mihi comparem, non fortuito aut caeco quodam caſu, ſicut evenire ſolet, ſed ſingulari quadam arcanaque Dei Opt. Max. providentia volens lubenſque adducor. Quod enim tenera jam aetate ab Hiſpania profectus Neapolim venerim, quodque hic Te feliciſſime Regnantem coluerim, & ſtudiorum meorum primos fructus Nomini tuo nuncupaverim, quos & humaniſſime excepiſti, quidnam aliud fuit, quam fortunatiſſimum auſpicium, quo mihi bene ominarer fore aliquando,

ut

ut Te , quem Patronum ſenſeram benigniſſimum , Dominum tandem Regemque eſſem habiturus, cui non modo honeſtae clientelae, ſed & imperii jure , animo obſequentiſſimo operas , laborumque meorum progreſſum offerrem, atque inſcriberem? Officiorum ergo meorum rationi ſatis facere, & gratiam tuam promereri ampliorem mihi cupienti nihil accidere poterat accommodatius, quam Diſſertationem in Sacra hujus Urbis Academia nuper recitatam in vulgus emittere Tuo Auſpicio munitam, atque exornatam. Qualiſcumque ea foret, Tibi ſemper multiplici nomine debebatur. At potiori quidem jure ad Te iſtud opuſculum properare, & tuum ſibi patrocinium fidenter expoſcere videtur, quo maximam dignitatem Apoſto-

li-

licae Praedicationis Hiſpanicae genti vindicare ac reſtituere conatus ſum. Num verear, ne non Tibi ſit gratiſſimum futurum, quod ſtudiorum meorum ſpecimen aliquod editurus ab Evangelica B. Jacobi annuntiatione Nationi meae aſſerenda inceperim, unde Eccleſiae noſtrae, & Regno, cujus gloria Tibi cordi eſt, ſummum exiſtit decus & ornamentum? Haec cum tanti ſint, dubitemne, quin ſis probaturus, quod ſeveriora Juris ſcientiae ſtudia interdum relaxaverim, ut quoſdam non obiter, ſed dedita opera refellerem exteros hypercriticos, qui avitam noſtram de Jacobea Praedicatione traditionem appetere adhuc audent? Quod vero Clariſſimis Scriptoribus, qui eandem Spartam ornarunt, ipſe me comitem adjunctum iverim, nec teme-

re

re nec fruſtra id factum quiſquam putabit. Licet enim eos, qui malo in res noſtras affectu tranſverſi aguntur, victas unquam manus daturos fore deſperem; tamen aliis compluribus, qui vel noſtrorum librorum inopia, vel Hiſpani ſermonis (quo ſelectiora Scripta prodierunt) ignoratione in contraria diſcedunt, aequum duxi rationum noſtrarum copiam facere ea lingua, quae omnibus communis habetur. Huc tandem cum accederet maximus erga Patriam caritatis ardor, continuo mecum conſtitui, haſce iteratas, ut potui, vindicias elucubrare, & in medium proferre: quas tibi ſiſto, quaſque Te benigne lubenterque excepturum confido. Cui a bonorum omnium largitore Deo felicitatem perpetuam, vitamque longae-

gaevam , Apoſtolo noſtro Jacobo potiſſimum deprecatore , conceptis votis vehementer exopto.

Vir Cl. Alexius Symmachus Mazochius Can. Presbyter Cardinalis hujus Sanctae Neap. Ecclesiae, & Sacrae Scripturae Regius interpres revideat, & in scriptis referat. Datum Neapoli die 8. Augusti 1762.

PH. EPISC. ALLIFANUS VIC. GEN.

JOSEPH SPARANUS CAN. DEP.

EMINENTISSIME PRINCEPS.

NIhil mihi potuit optatius accidere, quam ut Te jubente, Cardinalis amplissime, generosi adolescentis nobilibusque studiis deditissimi, mihi vero cum primis amicissimi, *Benedicti Clementis Arostegui* Dissertationem solerter elaboratam legerem. In qua non modo nihil a Fidei morumque regula aberrans inveni, sed potius miram juvenis religionem sum demiratus, quod emissurus a se aliquid, quo fructus proderet studiorum, non nisi pium argumentum delegit, quo suae gentis gloriam, a quibusdam frustra appetitam, in eo maxime tueatur, quod Beatissimi Apostoli Jacobi in Hispaniis praedicationem novis argumentorum praesidiis roboravit. Nempe praeclarum hoc piissimo juveni decus, quod in patriae suae caritate praeseferenda primum sacrorum studiorum posuerit tirocinium. Gratum vero etiam hoc ejus doctissimo Patruo (pluribus honoribus functo, scriptis gestisque clarissimo, nunc vero CAROLI Regis Catholici ad FERDINANDUM Filium, utriusque Siciliae Regem Oratori) erit, ut qui in adolescente hoc, cujus mores atque studia amantissime moderatur, praeclara tot specimina ingenii praecocis animadvertat. Gratum id quoque pientissimis Hispaniae populis ob suum in S. Apostolum studium: Serenissimo autem Regi CAROLO Monarchae Hispaniarum Catholico eâdem de caussa gratissimum. Mihi vero tandem, qui toties hunc adolescentem suo in Museo revisens Graecos explicantem libros, aut juris ar-

cana, in quibus totus est, patefacientem mirabundus audiverim, jucundissimum accidit, animadvertenti, ex illis studiorum seminibus has nunc fructuum primitias prodiisse. Haec Cardinalis Eminentissime de Dissertatione habui dicere, tuis ut jussis obtemperarem. Datum XIII. Kal. Febr. An. 1763.

Humillimus & Obsequentissimus
Canonicus Alexius Symmachus Mazochius.

Attenta relatione Domini Revisoris imprimatur. Datum Neapoli die 19. Februarii 1763.

PH. EPISC. ALLIFANUS VIC. GEN.

JOSEPH SPARANUS CAN. DEP.

Admodum Rev. D. Carolus Gagliardi in hac Regia Studiorum Universitate Antecessor in Cathedra Decreti revideat, & in scriptis referat. Neap. die 4. mensis Januarii 1763.

NICOLAUS DE ROSA EP. PUTEOL. CAP. MAJ.

ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. DOMINE.

QUae de B. Jacobi in Hispaniis praedicatione, auctore Baronio, seculo superiore primum prodiit controversia, eam in Republica litteraria tam late jam percrebuisse nihil est quod miremur: cum multa partium studiis plus aequo soleant augeri. Gens vero Hispana Apostoli sui gloriae diligentissima conservatrix quot quantisque non Domesticorum modo, sed & Exterorum Scriptorum monumentis, rationibusque continua traditione firmatis, pristina propriae laudis jura omni ex parte sibi restituenda curaverit, me quidem non latet. Sed in Nationum contentionibus cum alia ex aliis nascentia perpetuo congerantur, quae impedimento sunt, quominus, omnibus singulisque semel accurate discussis, universa dissentionum seges radicitus amputetur: hinc fit, ut etiamnum non desint, qui opinentur litem nondum esse omnino finitam, adeoque Patronum desiderant validiorem, qui, levibus posthabitis dissidiis, elegantiori forma & firmiori critica Adversariorum objecta dilueret, & Hispanorum sententiam tantis venerandae antiquitatis praesidiis communiret, ut cursum caussae huic tandem praecluderet ulteriorem. Id suae modo Genti adamussim praestitisse mihi videtur Benedictus Clemens de Arostegui hac Dissertatione, quam jussus a Te, Illustrissime Praesul, & legi & serio perpendi. Quidquid enim ad eximiam defensionem numeris omnibus exornandam conferre poterat concinna differendi facilitas, exactum judicium, solidior critices usus, historiae, canonumque scientia, totum id ad propositum sibi vindiciarum argumentum mirifice accommodavit Adolescens praeclarissimus, cujus industriam

eo vel magis fore commendandam reor, quod Jurisprudentiae studio sedulam operam eum non frustra navare sciam. Quae quidem cum ita sint, & in Exercitatione lubenter lecta nihil offenderim vel Regiae Majestatis juribus, vel publicae Tranquillitati adversum, illam perquam dignam existimo, quae typographicis formis exprimatur, & litteratorum omnium sapientiae commendetur. Datum Neapoli Kalendis Februariis anno Æ. V. cIↃIↃccLXIII.

Humillimus, & obsequentiss. famulus
Carolus Gagliardi.

Die 16. mensis Martii 1763. Neapoli.

Viso Rescripto Suae Regalis Majestatis sub die 10. *currentis mensis, & anni, ac relatione Rev. D. Caroli Gagliardo de commissione Rev. Regii Cappellani Majoris praefatae Regalis Majestatis.*

Regalis Camera Sanctae Clarae providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inserta forma praesentis supplicis libelli, ac approbationis dicti Rev. Revisoris. Verum in publicatione servetur Regia Pragmatica hoc suum.

GAETA. CAVALCANTI. DE FIORI.

Spectabilis Praeses Romanus tempore subscriptionis impeditus, Illustris Marchio Fraggianni non interfuit.

Reg. fol. 109.
Carulli.

Athanasius.

S U M M A R I U M.

I. *ANtiquissima Traditio praedicationis Jacobi Majoris in Hispania a quorumdam neotericorum Scriptorum objectis vindicatur, praeposito controversiae statu.*

II.III.IV. *Ex dispertitis per totum orbem Apostolis unum ad Hispaniam commigrasse tradit Hieronymus, qui non de Paulo, sed de Jacobo cogitasse multifariam ostenditur.*

V. *Eandem sententiam probat S. Isidorus disertissimo testimonio, quod genuinum esse demonstratur.*

VI. *Cajetanus Cennius Isidori testimonium uti spurium rejiciens pluribus refellitur. Ejusdemque calliditas in Jacobea praedicatione pertractanda ibidem notatur.*

VII.VIII.IX. *Isidoriano testimonio fides non est deroganda, quod in eo Jacobo nostro tribuatur Epistola* duodecim Tribubus *scripta.*

X. *Antiquum Officium Gothicum peculiari Hymno Evangelicam Jacobi Annuntiationem in Hispania confirmat, explosa Natalis Alexandri futili animadversione.*

XI. *Ostenditur vetustus hymnornm usus in Hispania, explicato canone Bracharensi, & Toletano, nec non Jacobei hymni, & festi antiquitas defenditur contra Cennium.*

XII. *S. Julianus Toletanus Antistes, Ven. Beda, & Beatus Presbyter Liebanensis Jacobi praedicationem Hispanis asserunt.*

XIII. *Traditio Hispanorum apud exteras Nationes a seculo VIII. praacipue fuit propagata.*

XIV. *Opponunt Adversarii silentium antiquorum Patrum, & præsertim* Historiae Compostellanae *de Jacobi in Hispaniam profectione.*

XV. *Sed Veterum silentium nibil officit, ubi traditio aliis fulcitur argumentis. Imo in caussa nostra illud injuria objicitur, cum pro nobis loquantur Hieronymus, Isidorus, aliique*

que Patres. Cur autem Compostellana Historia Jacobei in Hispaniam adventus non meminerit, examinatur.

XVI. *Opponunt etiam Apostolos nonnisi anno XII. post Christi mortem fuisse dispersos ex traditione Apollonii apud Eusebium, & Clementem Alexandrinum, quo tempore Jacobus jam obierat.*

XVII. *Resp. traditionem Apollonii rejiciendam esse. Ceterum esto admittatur, nihil nobis obstat, quotiescumque commode eam interpretamur.*

XVIII. *Sunt, qui contendunt Apostolos post secundam demum Ecclesiae persecutionem, in qua Jacobus mortem oppetiit, fuisse inter se divisos, & in diversa discessisse.*

XIX.XX. *Horum tamen sententia confutatur ex Sacra Historia, & locus Chrysostomi explanatur.*

XXI. *Putant nonnulli Jacobum in Hispania nec Judaeis, qui ibi tunc non erant, nec Gentibus, quia ipso vivente nondum erat eis Evangelii Ostium apertum, novam legem annuntiare potuisse.*

XXII. *Certius esse ostenditur ex Scriptura, & Chrysostomo Judaeos tunc temporis in Hispania fuisse, & vivente adhuc Jacobo, Evangelii copiam Gentibus factam fuisse.*

XXIII. *Eisdem rationibus dissolvitur argumentum Michaelis a S. Maria quoddam Hieronymi testimonium perperam usurpantis.*

XXIV. *Implicatior est Apostoli Pauli locus, ubi significat se Evangelium publicasse in locis, in quibus non adhuc erat Christus nominatus.*

XXV. *Cum liquido constet, Paulum saepe Evangelium disseminasse, ubi alii jam Christum nominaverant; hinc eo loci Doctor gentium intelligi debet id tantum indicasse, se* tanquam Apostolum *ad Infideles praecipuo studio, & velocius convolasse, ad loca vero, ubi Christi lex jam erat annuntiata, veluti* Paedagogum *per occasionem, & tardius accessisse. Unde novum pro nobis emergit argumentum.*

XXVI. *Opponitur Epistola decretalis Innocentii I. negantis ullum Apostolum praeter Petrum, & ab eo missos in Occidente*

dente vel docuisse, vel plantasse Ecclesias.

XXVII. *Resp. I. Pontificem* in rebus facti *falli potuisse.*

XXVIII. *Resp. II. Innocentii mentem non eam fuisse, ut Jacobo, & Paulo voluerit auferre primam Hispaniensis Ecclesiae* institutionem, *quae in prima Evangelii praedicatione consistit, sed secundam, quae in totius rei sacrae dispositione, & ulteriore Christianae doctrinae explanatione versatur, quam Gregorius VII. attribuit septem viris Apostolicis in Hispaniam missis.*

XXIX. *Haud credendum Gregorium traditam duplicis* institutionis *Ecclesiarum differentiam confudisse, & cum Innocentio concinuisse.*

XXX. *Objectant postremo Adversarii Rodericum Archiepiscopum Toletanum virum doctissimum in Concilio Lateranensi Jacobeam in Hispania praedicationem impugnasse.*

XXXI. *Verum historia, quae talia refert, pluribus summatim collectis, commentitia esse convincitur.*

XXXII. *Absolvitur dissertatio verbis Benedicti XIV. Pon. Max. sententiam nostram amplectentis.*



JACOBI ZEBEDAEI
PRAEDICATIO
HISPANIS VINDICATA.



Uum primum ſingulari veſtra humanitate, maximoque meo honore, Eminentiſſime Princeps (*), Auditores ſapientiſſimi, coetui huic ampliſſimo doctorum Virorum, quos uti meos Magiſtros ſuſpicio, me conſociare decreviſtis, ne vos in ignavum hominem collati honoris poeniteret, illico mecum ipſe reputare coepi,

A quo-

(*) Utinam mihi poſthac aut ratio daret, aut fors objiceret, ſingulares Eminentiſſimi Domini Antonini Serſale Cardinalis Archiepiſcopi laudes opportunius efferre; ſed heic me continere non poſſum, quin illius pro merito commendem perpetuam in Paſtorali munere explendo di-

quonam modo, quanamve ratione juxta Sanctissimum hujus Academiae institutum, quod in venerandis Ecclesiae antiquitatibus rimandis, illustrandisque magna cum laude versatur, & ipse meam Symbolam conferrem. Haec mihi cogitanti continuo sors illa mea fortunatissima succurrit, quae ad prima literarum elementa, vitaeque recte ineundae rationem percipiendam, in hanc cultissimam, & undique florentissimam Urbem, ignota Supremi Numinis providentia ab Hispano patrio solo me tenera adhuc aetate traduxit. Volvebam quoque animo non sine ingenti voluptate veterem illam Hispanorum, Neapolitanorumque sub iisdem tandiu Regibus arctissimam conjunctionem, quae utramque gentem cum Divini, Humanique juris foedere sociatam, tum sub communi Sanctissimi Jacobi patrocinio ubique terrarum invictissimam ostentavit, & ostentat. Hinc & vobis gratum, & mihi consentaneum fore merito existimavi, si eam, quam a Majoribus nostris accepimus traditionem de ejusdem Apostoli in Hispaniam adventu, & Evangelii praedicatione, hanc pro ingenii mei modulo firmarem, atque munirem. Quid enim aut mihi ad differendum accommodatius, aut vobis ad deliberandum utilius, quam piam illam, religiosamque sententiam nobis retinendam com-

diligentiam, summamque vigilantiam, qua sui spectatissimi Cleri decori, & sanctiori disciplinae providet, multis, praeclarisque regulis cum ad Religionem, Pietatem, ac Modestiam conducentibus, tum ad Doctrinam, quam vel eo praesidente, vel ejus vicem gerente Illustrissimo Canonico Josepho Sparano, etiam in hac Academia, convenientibus in eam utriusque Cleri Eximiis Viris, mirum in modum videmus augescere.

commonſtrare, quae longo Seculorum lapſu, nemine reclamante, conſtanter derivata, digna fuit, quae ubique (1) pro certa reciperetur, & in Romanis Divinis officiis annua commemoratione celebraretur (2)? Nec quiſquam veſtrum ſibi perſuadeat tam diuturnam noſtram traditionem jure ſuo cecidiſſe, quod poſt XV. ſecula unus Cardinalis Baronius ſibi ipſe inconſtans (3), apud Clementem VIII. illius continentem poſſeſſionem aggreſſus eſt turbare (4). Quandoquidem ſuprema R. Curiae ſubſellia Hiſpani homines adeuntes, eam monumentorum copiam, & ea rationum momenta ediderunt, ut ſollemni, contradictoque judicio, non gratia, aut potentia, ut Adverſarii dictitant, turbata traditionis poſſeſſio reſtituta in integrum, & Jacobi elogium, Baronii ſuaſione deletum, iterum Romano Breviario redditum fuerit iiſdem verbis, quibus antea erat conceptum (5). Quae cum ita ſint, verendum mihi eſſet, ne labor hic meus, tamquam in

A 2 re.

(1) De traditione noſtra ita Cornelius a Lapide *Act. Apoſt.* 13. *v.* 2. „ Univerſalis eſt, immemorabilis, non tantum Hiſpaniae, ſed & fidelium ubique traditio, cui refragari nemo poteſt.

(2) In Romano Breviario Pii V. „ ita habetur: Mox peragrata Hiſpania, ibique praedicato Evangelio, rediit Jeroſolymam.

(3) Baronius *in Martyrol. ad diem* 25. *Julii*, & *tom.* 1. *Annal. ad A. C.* 44. traditionem defendit, & ad ann. 816. Sententiam mutavit.

(4) Idem Clementi VIII. ſuaſit, ut in Breviario ita legeretur: *Mox Hiſpaniam adiiſſe, & aliquos diſcipulos ad fidem convertiſſe*, *apud Hiſpanos receptum eſſe affirmatur*.

(5) In Romano Breviario Urbani VIII. ita nunc legitur „ Mox in „ Hiſpaniam profectus, ibique aliquos ad Chriſtum convertit, ex quo„ rum numero ſeptem poſtea Epiſcopi a B. Petro ordinati in Hiſpa„ niam primi directi ſunt.

re extra aleam controversiae posita, supervacaneus videretur; & talis profecto foret habendus, nisi compressos Baronii conatus iterum excitare nonnulli tentassent homines Hypercritici, quos inter primas tenet Natalis Alexander, & Christianus Lupus (1), quos licet firmissimo rationum apparatu Nostrates confutarint, præcipue Cl. Ferdinandus a Mendoza, Marchio Mondexarensis (2), & Hispaniensis Ecclesiae diligentissimus illustrator Henricus Florezius (3): non desunt tamen nostris diebus & alii, apud quos severioris Critices usus plus aequo valet, cujusmodi sunt doctus, ac elegans Thomas Maria Mamachius (4), & Cajetanus Cennius Presbyter Romanus (5), qui crambem recoquere, & pugnam instaurare non dubitant. Ergo abs re non erit, si nova quadam ratione ea persequar, quae & traditionem nostram praecipue confirment, & jam olim producta Adversariorum *fundamenta*, & si qua alia ab ipsis producantur, quae novi speciem praeseferre videantur, omnino convellant.

II.

(1) Natalis Alexander *dissert.* 15. *Histor. Eccles. sect.* 5. *pag.* 581. Et eamdem sententiam tenent Christian. Lupus ad Tertullian. *lib.* 20. *de praescriptione c.* 20. *tom.* 9., & alii, quos numerat Michael a S. Maria dissert. historica de primo Evangelii praedicatore in Portugalia inter script. Acad. Portugal. ad ann. 1722. 27. Augusti.

(2) Eruditus Gaspar de Mendoza Mondexarensis in tractatu inscripto: *Predicacion de Santiago en España edit an.* 1682.

(3) P. D. Henricus Florezius Ord. S. Augustini, & Complutensis Antecessor *tom.* 3. *cap.* 3. *&* *tom.* 6. *in principio en las advertencias al tomo V. eruditi operis inscripti: España Sagrada.*

(4) Cl. Thomas Maria Mamachius Ord. Praedicator. *Origin. Christianar. tom.* 2. *cap.* 23.

(5) Cajetanus Cennius *Antiquit. Eccles. Hispan. tom.* 1. *disceptat.* 1. *cap.* 2.

II. Et ſane quiſquis, juxta ſacros novi foederis Codices, Apoſtolos per univerſas regiones diſperſos, & in fines orbis terrae a Servatore noſtro ad Evangelium diſſeminandum miſſos perſpexerit; quiſquis etiam eorum aetate fines orbis in Hiſpania poſitos, conſtanti Geographorum teſtimonio (1) admiſerit; is quoque facile mihi concedet, Apoſtolorum aliquem in Hiſpaniam perrexiſſe, ibique Verbum Dei annunciaſſe: eo vel maxime, quod conſtat id ipſum aſſeruiſſe Maximum Hieronymum, qui ita divino juſſu Apoſtolos per totam terram diſtributos exponit, ut unum eorum in Hiſpaniam veniſſe, diſerte affirmet (2). *Spiritus*, inquit, *illius congregaverit eos, dederitque eis ſortes, atque diviſerit, ut alius ad Hiſpanias, alius ad Illyricum, alius ad Indos, alius ad Graeciam pergeret*. Ergo nemo erit, opinor, qui Apoſtolicae praedicationis praerogativam ſacro teſtimonio ſatis conſonam, & Hieronymi ſententia luculentiſſime confirmatam Hiſpaniae noſtrae auferre audebit. Quare haec quaeſtio eo potiſſimum recidit, ut quiſnam fuerit ille Apoſtolus a Doctore Maximo indicatus, excutiatur. Haud pauci nedum Hiſpani, verum & Exteri Scriptores (3), Petrum Apoſtolorum Principem Hiſpanias luſtraſſe

vo-

(1) Strabo *lib. 3. circa fin.* Arias Montanus *in ſua Geographia* relatus ab Ortelio *in Theſauro Verb. Gades*.

(2) D. Hieronymus *in Iſaiam cap. 34. in fine*.

(3) Metaphraſt. *De Certamine & Peregrin. Apoſt. cap.* 10. Lippomanus, Surius, Ambroſius de Morales, Ciacconius *in Vita S. Petri*, & Lualdus *tract. della propagazione del Vangelo nell' Occidente tom. 2. lib. 1. cap. 16.*

volunt. Iſtud ipſi contingere potuiſſe credunt tempore, quo Claudii Cæſaris edicto Roma pulſus ille cum omnibus Judæis, Occidentis Provincias peragravit. Maximo nobis, fateor, honori eſſet iſte Petri ad Hiſpaniam acceſſus; ſed cum antiquorum Patrum ſilentium aperte obſtet, nec antiquiore teſte, quam Metaphraſte (cujus fides apud Criticos nutat) fulciatur, blandiri non uſque adeo nobis licet, ut Apoſtolum ab Hieronymo indicatum, Petrum fuiſſe credamus. Alii & numero plures, & Auctoritate graviores, contendunt Hieronymum de Paulo Doctore gentium cogitaſſe, ut ipſi potiſſimum Hiſpanias, tanquam praedicationis ſuae ſortem, aſſignatas docuerit. Et profecto Paulum ad Hiſpanias acceſſiſſe, tot Patrum (1), & graviſſimorum Scriptorum (2) calculo firmatur, ut non niſi temere, & renuentibus ſeverioribus Criticis, negari jam poſſit. Verum Hieronymum in praefatis verbis: *alius ad Hiſpanias*: Paulum in mente habuiſſe, incertum, quin & falſum dicendum omnino eſt. Sive enim congregatio, & ſortitio Apoſtolorum (quam uti præviam eo-

(1) Hippolytus Martyr *lib. de* 72. *Diſcipul.* Athanaſius *Epiſt. ad Dracont.* Epiphanius *Hæreſi* 27. Chryſoſtomus *Hom.* 76. *in Matth.* Hieronymus *in Amos cap.* 3. Theodoretus *in Ep. ad Rom. c.* 15. Cyrillus *Catech.* 17. Gregorius *lib.* 31. *Moral. c.* 32. & alii Interpretes Pauli *ad Roman. XV.* 24.

(2) Baron. *ad Martyrolog. Rom.* 22. *Martii*. Jo: Erneſtus Grabe *in notis ad Irenaeum p.* 46. Henricus Wotton *in Clementis Rom. Epiſt. ad Corinthios cap. V. p.* 25. Natalis Alexander *hiſt. Eccleſ. ſec. I. diſſ. XV.* Pearſonus *diſſ.* 1. *de ſucceſſione Epiſcoporum Romae c.* 8. §. 9. *p.* 61. *ſeq.*; *& in Annalibus Paulinis p.* 20. Gregor. VII. *in Epiſt.* 64. ad Reges Hiſpaniae.

eorumdem Apostolorum dispersioni describit S. Doctor) statim post Spiritus Sancti descensum contigerit, quae est opinio Clementis, Venantii, Fortunati, Augustini, & Ruffini (1); sive ex aliorum sententia (cui propter mox dicenda magis assentimur) sortitio illa protrahatur ad finem primæ persecutionis, qua cessante, & pace Ecclesiae data, Apostoli primum coeperunt in diversa discedere; neutro horum tempore Paulum cum ceteris Apostolis convenisse, Hieronymum latere non potuit. Nam priori illo tempore Paulus Judaeorum partibus pervicaciter adhuc adhaerebat; secundo autem vix Christum agnovisse, & non nisi triennio exacto post suam conversionem ad Apostolos primum accessisse, ipsemet Paulus testatur. Unde rectissime Beatus Presbyter Liebanensis (2) post recensitas sortes aliis Apostolis datas, ut postea dicam, hæc subjungit: *Paulo autem cum ceteris Apostolis nulla sors traditur propria, quia in omnibus gentibus Magister, & Praedicator eligitur*. Quare Hieronymum docentem in illa divisione sortium *alium* Apostolum *ad Illyricum*, *alium ad Hispanias* esse destinatum, de Paulo haud cogitasse,

(1) Clemens I. *Epist. I.* „ Christo itaque resurgente, & ascendente „ in Caelum, misso Sancto Spiritu, collata Apostolis Scientia linguarum, adhuc in uno positis, Symbolum, quod fidelis nunc tenet Ecclesia, quod unusquisque sensit, dicendo, condiderunt, ut discedentes ab invicem hanc regulam per omnes gentes prædicarent. Eadem prorsus verba habet Venantius Fortunatus *Præfatione in Symbolum Apostolorum*. Quocirca dictum ejus referre supersedeo: Neque multum diverse loquuntur Augustinus *serm.I.* in Vigilia Pentecost. & Ruffinus *in expositione Symboli*.

(2) Vide infra n. XI. istius integrum Testimonium.

taſſe, certo ſtatuimus. Quamvis enim, & Illyricum, & Hiſpanias Doctor gentium luſtraverit; at non ex vi, nec jure ſortitionis Apoſtolicae ad has Regiones acceſſit, ſed auctoritate univerſalis ſui Magiſterii per Orbem ipſi divinitus collata. Quae cum ita ſint, ſuperſedere jam licet quaeſtione illa, qua fruſtra ſe involvunt, alioquin ambo eruditi Mamachius, & Florezius, dum uterque Hieronymum in ſuam ſententiam trahere ſatagens, uterque S. Doctorem eo loco Paulum præ oculis habuiſſe ſtatuunt, ipſique Illyricum, & Hiſpanias, quaſi ſorte datas, tradidiſſe, quod vult Mamachius; vel non Hiſpanias, ſed Illyricum, quod Florezius docet.

III. Ergo Hieronymi mentem accuratiori examine explorantes, bona fide fatemur, S. Doctorem laudato loco Hiſpaniis datum Apoſtolum haud nominatim deſignaſſe; at vero alibi eodem libro Jacobũ Zebedaei filium ipſum fuiſſe ad Hiſpanias miſſum, clariſſime ſignificaſſe, eumque veluti digito intento demonſtraſſe, putamus. Siquidem loquens de Jacobo noſtro, & Joanne fratre ejus a Domino vocatis, dum cum Patre Zebedaeo in navi reficiebant retia ſua, ita ait (1): *Apoſtolos videns Jeſus in litore juxta mare Geneſareth reficientes retia ſua, vocavit, & miſit in magnum mare; ut de piſcatoribus piſcium, faceret hominum piſcatores, qui de Hieruſalem uſque ad Illyricum, & Hiſpanias Evangelium praedicarunt*. Nunc ergo cum luciſſime appareat Hieronymum (cui Evangelii Textus (2) præſens erat) hic

non

(1) S. Hieronymus *in Iſaiam cap.* 42. *v.* 10.
(2) Matth. *c.* 4. *v.* 21. & Marci *c.* 1. *v.* 19.

non de Paulo, ſed dumtaxat de Jacobo, & Joanne Fratribus locutum fuiſſe; cumque inſuper nec Hieronymus, nec quiſquam alius Joannem Hiſpaniam adiiſſe unquam indicaverit; nullus profectò locus ambigendi eſt, Hieronymum in hoc, & ſuperiore loco Jacobi noſtri in Hiſpaniam profectionem, ibique praedicationem agnoviſſe, & comprobaſſe. Atque ita utriuſque loci concors erit Sententia, ut Hiſpaniae Jacobo recte attribuantur; Joanni vero Fratri ejus Regiones, quae interjacent uſque ad Illyricum. Notiſſimum namque eſt in ſortitione Apoſtolica Joanni contigiſſe Aſiam, quae uſque ad Illyricum Orientale protenditur, ubi cum Helleſponto conjungitur (1). Ex quo maxima quaedam elucet ſingularis dignitas, qua Dominus Jacobum, & Joannem Fratres voluit condecoratos, cum illi Occidentis, huic Orientis terminos Fidei lumine illuſtrandos dediſſet.

IV. Verum ulterius progreditur Hieronymus, aliamque prioribus adnectit ſententiam, qua mentem ſuam apertius declarat. Etenim, ſortitione illa vix memorata, ſtatim haec ſubjicit (2): *Ut unuſquiſque in Evangelii ſui, atque doctrinae provincia requieſceret*. Nunc ſane, Aud. Opt., veſtram imploro fidem, veſtroque ſincero judicio totum me ſiſto. Poſteaquam univerſo orbi Chriſtiano innotuit divina ope Jacobi corpus poſt ejus mortem, a ſuis Diſcipulis in

B Hi-

(1) Vide Tabulam geographicam Illyrici Orientis H. Samſonis, quae eſt 22. veter. geographiae Editionis Patavinae *1699*.
(2) Hieronymus *d. cap.* 34. *in Iſaiam*.

Hiſpaniam fuiſſe tranſvectum, ibique ejuſdem oſſa requieſcere, quiſnam erit tam impudens, ut contendat adhuc Hieronymum laudatis locis alium, quam Jacobum indicaſſe? Sit utique in Hiſpaniam profectus Paulus, qui tanquam Doctor gentium non unam, ſed omnes Orbis provincias ſingulari ſui Apoſtolatus praerogativa fuit ſortitus. At venit primus in Hiſpaniam Jacobus, veluti in ſuam peculiarem Provinciam, quam etſi vivens veloci curſu perluſtravit, poſt obitum tamen in eamdem translatus, doctrinae ſuae ſortem illam fuiſſe hac ipſa ſui corporis prima humatione adhuc demonſtrat.

V. Ergo Hieronymi teſtimoniis, quae ad noſtram cauſſam produximus, ita collatis, Vos mihi jam videmini judicaturi, quantum faveat Doctoris Maximi ſententia Evangelicae Jacobi in Hiſpania praedicationi. Sed pronius hoc ipſum pro certo habituros vos eſſe confido, ubi Iſidorum Hiſpanienſem Doctorem noſtrum Egregium audieritis. Ut enim inter antiquos Patres ſtudiorum ſimilitudine Iſidorus cum Hieronymo praecipue eſt comparandus, ita & ea, quae de Jacobo noſtro Iſidorus tradidit, ab illo priore hauſiſſe vero ſimile videtur. Accipite ergo, quae Iſidorus profert in eo libro, quem ſcripſit *de ortu, & obitu Patrum* (1): *Jacobus Filius Zebedaei frater Joannis, quartus in ordine, duodecim tribubus, quae ſunt in diſperſione gentium, ſcripſit, atque Hiſpaniae, & Occidentalium locorum gentibus Evangelium praedicavit, & in occaſu Mundi lucem praedicationis infudit*. Et rur-

(1) S. Iſidorus *de ortu, & obitu Patrum cap.* 71.

rurſus (1): *Petrus Romam accepit*, *Andreas Achajam*, *Jacobus Hiſpaniam*, *Joannes Aſiam*, *Thomas Indiam*, *Matthaeus Macedoniam*, *Philippus Galliam*. Quid nunc tam luculento huic teſtimonio Baronius, & Natalis Alexander reponunt? Confictum dicunt, & Iſidoro opus hujuſmodi ſuppoſitum ſuſpicantur. O miram, & miſeram opinandi licentiam! Falſone tribuetur Iſidoro liber, quem Ildephonſus, & Braulio ejus diſcipuli non alium, quam Iſidorum adornaſſe teſtantur? Eritne ſuſpecta ſententia, quae Hieronymianae antea productae adamuſſim conſonat? Ac demum commentitium opus cenſebitur, quod in cunctis Iſidori editionibus, & innumeris antiquis manuſcriptis, ut genuinum habetur (2)? Nolo quidem hac in re meo, aliuſve Hiſpani hominis judicio acquieſcatis. Credo vos lubenter fidem habituros Gallicano ſcriptori exacti judicii, magnaeque eruditionis Viro, nimirum Archiepiſcopo Petro de Marca, qui ad Valeſium ſcribens (anno 1658.) de codice Iſidoriano Sancti Germani Pariſienſis, ante annos octingentos exarato, haec habet (3). *Nec diſſimulandum eſt in eo codice legi Hiſpaniam Jacobo Apoſtolo datam*, *eumque Hiſpanis fidem praedicaſſe*. *Quae vetuſti codicis auctoritas a quibuſdam conceptam ſuſpicionem eximere debet vitiatae forte loco in illo lectionis in prioribus editionibus ab aliquo Hiſpanarum partium ſtudioſo*. Comparate, quaeſo, Natalem ſuo lubitu

(1) Idem *eod. tract.*

(2) Videndus Cl. Nicolaus Antonius *in Biblioth. Antiqu. Hiſpan. Tom. I. lib.* 5. *n.* 510.

(3) Petrus de Marca *in Epiſt. ad Valeſium n. 6.*

tu ſuſpicantem cum laudato Antiſtite evidentiſſima ratione ſuſpicionem omnem abſtergente; & minime dubito, quin memoratum Iſidori librum in priſtinum γνησιότητος ſtatum reſtituendum eſſe exiſtimetis; eo vel maxime, quod illum ipſum inter Iſidorianos germanos foetus Willelmus Caveus Britannus inſignis Criticus recenſet in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis (1).

VI. Sed cum non tam facile homines praejudiciis ſemel imbuti, & contrariis ſtudiis abrepti, a contentione deſiſtant, vel ea admittant, quibus victas manus non ultro dant, ſed neceſſitate coacti; ea propter Baronius, & Natalis, ut illud Opuſculum ſuſpectum efficiant, multa in eo eſſe Iſidoro indigna clamitant. Quaenam autem iſta ſint, quo fides iiſdem haberetur, minime indicarunt. Unus Cajetanus Cennius Presbyter Romanus Baronii, & Natalis partes ſuſcipiens, ea in Iſidori libro adnotare ſtuduit, quae ipſi inepta, indignaque tanto Doctore videntur. Hujus Ariſtarchi cenſuram eo diligentius excutiam, quo ipſe callidius res noſtras ſpecie tenus illuſtrare, ac efferre aggreſſus, eas nec ſemel, nec inconſulto perturbavit, miſcuit, atque depreſſit. Quod (ne ultra metam excurram) vel ipſa ratio, qua idem uſus eſt in aſſerenda Hiſpanis Jacobi praedicatione, abunde oſtendit. Eam enim defendere ſimulans, illius validiora fundamenta revera labefactare, & convellere ſibi propoſuit, cum novo, aut potius jocoſo Παραδόξῳ, nuda tantum illam populorum traditione niti,

(1) Willelmus Caveus Britannus *in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis.*

ti, tanquam omni alio destitutam fundamento asseveravit (1). Et profecto ita esset, si quae nobis favent testimonia, omnia apocrypha, omnia ementita solide demonstrasset, quod alioquin ipse revera prae-

(1) Quam callidas artes auctor iste adhibuerit, ut Hispanos traduceret, & Exteris blandiretur, ipsemet satis perspicue indicavit. Namque *cit. cap. II.* confirmetne, an destruat S. Jacobi in Hispania praedicationem, se quasi animo fluctuantem assimulat. *Diruam?* inquit, *rem multis ingratam fecero, Catholicumque omne Regnum miscuero, ut placeam paucis. Confirmem? Studii mihi caussae objicientur; ne legi quidem digna habebuntur ab eruditis quaecumque scripsero.* Isthoc ambitiosus homo utitur prooemio, ut legentium voluntatem sibi alliciat, ac inter diversas utrinque Disputantium sententias, & ipse suam in medium proferat: *Meas & ego*, inquit, *vires experiri deliberavi, ut hanc hydram (si liceat fabula quaestionis sacrae ingenium uno verbo exprimere) haud herculeis viribus, at Divinae Sapientiae ope, per quam celata sapientibus, revelantur parvulis, praefocasse aut dicar, aut videar.* Proh Deum Immortalem! Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu? Agite dum, attentoque animo excipite, quae quantaque gloriosus hic Miles efferet: *Destruam prius*, ait, *fundamenta, quibus praedicatio S. Jacobi inhaeret:* En jam, mi Cenni, voti compos eris; nec tibi studii caussae objicientur; & eruditi Exteri lectu digna ducent quaecumque scripseris. Sed mox ut Hispanos permulceat, adjungit: *Deinde aliud stabile, atque firmum huc usque ignotum ex altissima obscuritate eductum patefaciam.* Profecto nec majus quidquam, nec praestantius Hispani aeque, ac Exteri exoptare poterunt; at verendum, ne & ipse oppigneratam fidem dissolvat, dum eam sic coarctat. *Dixi huc usque ignotum, non quia Scriptores omnes, qui nos praecesserunt, latuerit; sed quia deprehensum neglexerunt, dirutisque fundamentis aliis, rem tanti momenti quovis adminiculo destitutam reliquerunt.* Murem, opinor, Horatianum hic nobis Sponsor praestabit. Sed eum urgeamus, ut aliquando Mysterium patefaciat: at ipse longo verborum circuitu, & diversa parum opportune commiscens, ut pendentem lectorem detineret, ac promissionis immemorem paulatim redderet, tandem num. XIII. novum, & adhuc ignotum fundamentum sic statuit: *praecipuis jam fundamentis, quibus inhaerere videbatur praedicatio S. Jacobi in Hispaniis solo aequatis* (immota isthaec adhuc consistere nostra haec Dissertatio, ni fallor, satis probavit) *restat nunc, ut firmiori eam sustineri ostendam,* quod

praestitisse falso credit, atque gloriatur. *Quis enim vero* [scribit] *me ipso facilius*, *atque evidentius* [*absit verbo invidia*] *id glorietur praestitisse* ? Tenetis jam hominis modestiam, indolemque; percipite nunc

quod sum pollicitus. Fundamentum autem hoc certum, *& stabile est traditio*. Spectatum admissi risum teneatis amici? Num novum, aut ignotum fundamentum erit in hac controversia traditio, quae in ea caput, & basis est? Nonne perpetuam Hispanae Gentis traditionem, ceu praecipuum praedicationis Jacobeae fundamentum extulerunt, & omni ex parte adstruxerunt, quotquot de hoc Sacrae Historiae articulo scripserunt? Nonne & ipsi contrariae caussae patroni magna contentione in id incubuerunt, ut traditionem nostram infirmarent? Quî igitur stabit Cennianum illud *hucusque ignotum ex altissima obscuritate* eductum fundamentum? Verum Cennius adhuc stare illud contendit, quod licet alii traditionem hanc non ignoraverint, eam tamen *neglexerunt*. Novum hic Παράδοξον. Num neglectum dici poterit, quod tot, tantique scriptores complectuntur, tuentur, ac exquisitis Commentariis illustrant? Utique *neglexere*, subjicit pertinax Criticus, dum infirmis, atque adeo debilibus fundamentis illam fulcire studuerunt. Ipse contra traditionem suam stabiliendam suscipit, & nullo postea fundamento eam innixam probare conatur. Haud mirabor, si quis suspicetur, me nimis acerbo animo veteratoris hominis notam Cennio affingere, ac ipsum probrosae perfidiae nomine accusare. At legat quisquis volet *cit. cap. II.*, & suspicionem omnem diluet. Etenim duas in primis suo arbitrio comminiscitur traditiones: unam in ipsis Ecclesiae initiis exortam, quam ipse amplectitur: alteram ab inventione Jacobei Corporis profectam, quam Hispanis attribuit, ipse vero despicit. Primam inde originem traxisse censet, quod duo Jacobi Discipuli ex novem, quos ab Hispania Hierosolymam Magister secum duxerat, ut Posterorum Memoriae consulerent, sacrum Apostoli corpus cum brevi ejus elogio, (quod Cennio est *Epigraphe*) tumularunt. Verum saeviente postea persecutione, & hac re, vel ob metum, vel ob mortem nemini palam facta, tum Sepulcri, tum Epigrammatis memoriam periisse, & non nisi post septem secula utrumque detectum fuisse iisdem pene verbis affirmat nostrarum rerum Egregius illustrator. Cui maximas Hispani Gratias haberent, si res, ut ipse describit, sic revera se haberent. At unde istas nugas desumpserit non demonstrat, nec unquam demonstrabit, quippe qui illas suo cerebro effinxit. Illud vero mirabi-

nunc mirabiles ejus ratiocinationes. In primis falso attributum Isidoro illud opus censet propter illa verba in eo contenta (1): *Paulus, qui ante Saulus, Apostolus gentium, Advocatus Judaeorum, a Christo de Caelo vocatus, in terram prostratus, qui oculatus cecidit, caecatus surrexit*. Sed quid, bone Deus, aut ineptum, aut inconcinnum in ista oratione? Nihil certo hujusmodi Criticus noster hic ostendit, contentus uno tantum lepidissimo (si Diis placet) λαχω-

bilius est, quod qui in Hispanorum fundamentis excutiendis adeo severi Critici personam egit, is nunc vero ultro ac liberalissime res incertas, & a nemine adhuc productas, nullisque innixas Monumentis concedat. Novem Hispanos Discipulos Jacobo hic certo attribuit, & initio hujus capitis hoc ipsum tanquam dubium cum Mariana constituit. Epigrammatis meminit in Sepulcro appositi, & sero detecti. At unde id tandem, aliis auctoribus altum silentibus, sciverit Cennius, non ostendit? Demum quid Elogium illud contineat, non affert, quod sane omnino afferre oportebat. Nunc non vacat cetera persequi, quae Cennium esse jocatum, & Jacobeam Hispanis praedicationem potius praeripere, quam asserere voluisse convincunt. Ceterum ipsemet eruditus Mamachius Cennianas vel nugas, vel fraudes subodoratus est, & amica licet manu haec adnotavit: *Itaque Cajetanum Cennium, qui neglectis documentis, quibus uti Scriptores Hispani, ut suam opinionem tueantur, solent, ad unam consensionem, quae tam est recens, confugiat, putetque optime se proinde esse meritum de Ecclesiis Hispanorum, ac si primus omnium, quod erat implicatum evolverit, vel candide non dixisse, quod sentiebat, vel si dixit, non animadvertisse, quam infirma esset ratio, quae ignota antiquis traditione niteretur*. Attamen illud quoque vereor, ne Cennio candidior non sit Mamachius, quippe qui illum saepe laudans, Florezium saepius vellicans, traditionem nostram *recentem*, & *antiquis ignotam* appellans, suum proposito nostro satis adversum animum indicavit; quamvis eum caute tegendum curaverit, data (*in d. cap.* 25. *pag.* 287. *not.* 1.) cuique copia, utrum velit, sentiendi. Qui plura de hac contentione desiderat, adeat ipsum Florezium, qui se abunde vindicavit, *initio tom.* 6. *dell' España Sagrada*.

(1) Isidorus *d. tract. de ortu, & obitu PP. cap.* 70.

λακωνισμῷ : *legat cetera , cui ſapiunt haec* . Nos vero, dum meliora non profert , reponimus ſapidiſſima haec eſſe omnibus , quorum palatum non faſtidit quaecumque ſunt e ſacris literis deprompta . Legimus enim in actis Apoſtolorum Paulum , Saulum ante nominatum (1) . Ipſemet in epiſtola ad Romanos (2) ſe gentium dicit Apoſtolum . Judaeorum advocationem , defenſionemque pluries occaſione data ſuſcepiſſe, tum ex actis Apoſtolorum , tum ex ipſis ejus Epiſtolis evidenter dignoſcitur . Quod a Chriſto vocatus in terram ceciderit & excaecatus ſurrexerit, Lucas aperte tradit (3) . Ergo ſi oratio illa ſcripturae phraſibus conſonat, quid eſt, quod Cennius faſtidit, & Iſidorum Praeſulem doctiſſimum dedecere judicat ?

VII. Sed eſt & aliud, quod in eo libro ita Cennio ſtomachum movet, ut *illum tamquam ineptiſſimum, & egregio Doctore indignum in ultimas ignorationis tenebras amandandum* affirmet (4) . Quis non ſtatim credat, craſſiſſimum, intolerandumque errorem illic deliteſcere ? Qualis autem , quantuſque is ſit, audiamus ab ipſo Cennio : *Jacobo majori* , inquit, *Epiſtolam Canonicam tribuit* , *quam adimit Fratri Domini.* Ecce ineptias Egregio Doctore indignas ! Verum ut unuſquiſque veſtrum de re tanta juſte judicare poſſit , interroget prius ipſum Cennium, num Epiſtola illa omnium conſenſione, Iſidori aetate, Minori Jaco-

(1) *Act. Apoſtolor. cap.* 13. *v.* 9.
(2) D. Paulus *in Epiſt. ad Romanos cap.* 11. *v.* 13.
(3) *Actor. Apoſtol. cap.* 9. *v.* 8.
(4) Cennius *ubi ſupra pag.* 24.

Jacobo adſcriberetur ? Fatetur quidem & ipſe incertum eo tempore illius fuiſſe Auctorem , nec id ignoraſſe Iſidorum, qui in alio genuino opuſculo hanc plenam diſſenſionis aleam ſic expreſſit (1) . *Jacobus ſuam ſcripſit Epiſtolam , quae & ipſa a nonnullis ejus eſſe negatur , ſed ſub nomine ejus ab alio dictata exiſtimatur*. Quid itaque abſurdi , quid erroris eſt, quod Iſidorus Jacobo non Minori , ſed Majori epiſtolam illam vindicarit ? *Bene babet* , reſpondet Cennius(2) , *ſed Majori tributam a nullo bominum comperies.* Ipſius recitavi verba , ut miremini hominis ſtupendam confidentiam. Quid ? Nonne Verſiones novi Teſtamenti Syriaca, & Arabica (3), Gaſpar Sanctius (4), Philippus Bergomenſis (5) , Daza (6), Honcala (7), Ramirezius de Prado (8), & alii complures controverſam epiſtolam Jacobo noſtro adſcripſerunt ? Nonne Cornelius a Lapide (9), Mariana (10), & Serarius (11), Major ne , an Minor Jacobus ſit illius auctor , dubitarunt ? Videte nunc , quam ſana judicandi arte Romanus Criticus pronunciaverit. *Majori Jacobo tributam a nullo bominum comperies* . Cautius in re hac ſe

C gesſ-

(1) S. Iſidorus *de offic. Eccleſ. lib. 1. cap. 12.*
(2) Cennius *ubi ſupra n. 4. pag. 24.*
(3) Serarius *in ſcriptur. prolegom. 3.*
(4) Gaſpar Sanct. *tract. 3. de profect. D. Jacobi in Hiſpan. cap. 12.*
(5) Philippus Bergom. *ſuplem. Cbron. in Claudio.*
(6) Daza Prolegom. *ad Epiſt. Jacobi.*
(7) Honcala *in Geneſim cap. 21.*
(8) Ramirez de Prado *ſobre Luitprando pag. 531.*
(9) A Lapide *in Epiſt. Jacobi in prooem.*
(10) Mariana *in tractat. praedicationis S. Jacobi in Hiſpania.*
(11) Serarius *Opuſc. de Apoſtolis n. 97.*

gessit Mamachius (1), qui universalem Cennii sententiam ad Patres contraxit Occidentales, quorum neminem Jacobo Majori illam adscribere asseveravit. Sed esset quoque Mamachio demonstrandum, ut proposita ejus animadversio consisteret, universos Occidentales Patres Epistolam, de qua quaeritur, Jacobo Minori assignasse: quod, si unum excipias Hieronymum (2), de aliis non certo liquet adhuc: idque satis efficit, ut cum dubius fuerit illius Epistolae auctor, nemo possit erroris arguere Isidorum, quod Jacobum nostrum eam conscripsisse tradiderit.

VIII. Haec autem quamvis ita sint, urget adhuc Cennius: Isidorus in genuino *lib. de offic. Eccl.* eandem epistolam Jacobo Minori asseruit; ne ergo sibimet ipse adversari Egregius Doctor dicatur, librum illum, in quo ejusmodi epistola Majori Jacobo tribuitur, germanum illius foetum esse negemus oportet. Hoc sane, quod nunc objectatur, prima fronte non parvi momenti videtur; at id non uno modo dilui potest. Primum enim, ut evinceret Cennius, laudata Isidori Testimonia inter se pugnare, idem ostendere simul debuisset, in allegatis locis de una, eademque epistola agi, quod quidem non liquido constat, cum uno in loco (3) enuncietur Epistola *ad Ecclesiae aedificationem* scripta; in alio autem dicatur (4) *duodecim Tribubus* directa: illam proinde attribuit Isidorus Jacobo Minori, hanc Majori. Unde igitur Cennius hausit,

Epi-

(1) Eruditus P. Mamach. *cit. cap. 23. in notis n. 2.*
(2) Ut considerat P. Mariana *in tract. de la predicacion de Santiago.*
(3) S. Isidorus *praefat. in nov. Testament.*
(4) Idem *cit. lib. de ortu, & obitu Patrum.*

Epiſtolas diverſis titulis diſtinctas, unam, eandemque eſſe? Et, ſi diverſae ſunt, quid impedit, quominus diverſis perſonis adſcribantur? Porro Jacobum noſtrum Evangelio Hebraeis praedicando praecipue adlaboraſſe, nullus dubitat. Ergo quid mirum, ſi duodecim Tribus nedum voce, ſed & ſcripto inſtituerit? Quominus illis ſcribere potuerit, nemo recte judicans refragabitur, vel hoc uno, quod multi praeſtantes Auctores Epiſtolam ita inſcriptam noſtro adjudicant Jacobo. Nec vero ea mihi mens eſt, ut Epiſtola, quae in Sacro Codice Jacobo Minori adſcribitur, illam ipſi adimam contra receptiorem quidem, at non prorſus communem Scriptorum ſententiam; ſed ut unuſquiſque intelligat, eam rem adeo olim obſcuram, & controverſam fuiſſe, ut cum res nondum liqueret, nec abſurdum nec ineptum fuerit, vel uni, vel alteri Jacobo Epiſtolam aſſignare; qua de re ſi ejus auctor ab Iſidoro in ſuo Opuſculo *de ortu & obitu PP.* noſter Jacobus dicatur, id tanti non eſt, ut illud ab Iſidorianis, ut ſpurium expungamus.

IX. Deinde omnis eximitur ſcrupulus, & quidem commodius, ut mihi videtur, ſi e controverſo loco in praefato Iſidori *libro* deleatur verbum *ſcripſit*, quo ſublato ita lectio conſtabit. *Jacobus Filius Zebedaei, Frater Joannis, quartus in ordine, duodecim Tribubus, quae ſunt in diſperſione gentium, atque Hiſpaniae, & occidentalium locorum gentibus evangelium praedicavit*. Quamvis vero receptas lectiones variare, praecipue in Patrum ſcriptis, periculoſum ſit; tamen ſi de juſtis, prudentibuſque

causis id fiat, non utique debet improbari. In praesenti vero non modo plurium Scriptorum (1) auctoritas levem illam suadet mutationem, sed & Isidori textus, qui hac ratione magis cohaeret, & perfectiorem exhibet sensum. Atque ut ita emendatam teneamus lectionem, illorum nos allicit quoque sententia, qui etsi memoratum Isidori librum pro genuino agnoscunt, tamen male feriatorum hominum fraude alicubi vitiatum conqueruntur (2). Tolerabilius ergo, quin & probabilius erit, unius tantum verbi dispunctione rem totam componere, quam integrum opus, aut integram operis sententiam adulterinam pronunciare.

X. Hinc jam mirum videri non debet, Jacobi in Hispania praedicationem, quam ita dilucide Hieronymus, & Isidorus confirmarunt, Hispaniensem Ecclesiam sollemni ritu, & cultu celebrasse. Ex quo aliud & validius caussae nostrae nascitur argumentum. Et quidem neminem latere arbitror, quanta sit, & quam veneranda Hispani Sacri Officii, quod nunc Gothicum, nunc Toletanum, nunc Mozarabicum audit, antiquitas. In eo quippe extat, legiturque in honorem Jacobi nostri concinnatus hic hymnus.

Ma-

(1) Horum opinionem (quamvis eidem non assentiatur) retulit noster Florezius *d. cap. 3. n.* 124., mirandumque propterea, quod Mamachius illi falso imputaverit, eum in Isidori controverso testimonio verbum *praedicavit* duplicasse.

(2) Mamachius *ubi supra*, qui ibidem citat Nicolaum Antonium in Bibliotheca Hispana *tom. 1. lib. 5. n.*154. & alios Cl. Viros, ut est Mondexar, & Petrus de Marca.

Magni deinde Filii tonitrui
Adepti fulgent prece Matris inclytae
Utrique vitae culminis insignia,
Regens Joannes dextra solus Asiam
Ejus Frater potitus Hispaniam.

Profecto ad stabiliendam Hispanae Gentis antiquissimam traditionem apertius documentum proferri non potest. Etenim cum a Concilio Toletano IV. (an. 633.), unus ordo, in divinis ministeriis, officiisque celebrandis fuerit imperatus, qui ab eo tempore usque ad nos eadem forma (nisi aliud evincatur) est derivatus; dubitare jam non licet, Hispaniensem Ecclesiam in Jacobi Apostoli sui memoriam recolendam antiquitus consensisse. Quid? Num falsi notam hymno, aut Breviario illi recentiores Critici inurent? Tantum certe non audent. Sed effugia quaerunt, quae quam vana sint, perspicite, quaeso. Natalis Alexander excipit (1) *officium illud Toletanum*, (sunt ejus verba) *in quo Jacobi in Hispanias accessus hymno sacro recolitur*, *non fuisse a Romana Ecclesia approbatum*. O acerrimum, Romanae auctoritatis Vindicem! Patefecit jamdiu Roma, quanti ejus auctoritatem fecerit Natalis. At quomodo Gallum hunc Scriptorem cum ipsomet componemus, qui Romani Breviarii Pii V. Clementis VIII. Urbani VIII. imo & sui ordinis (an.1659.) Parisiis editi, & Romae approbati testimonia toties parvi pendit, dum traditionem nostram in eisdem assertam despicit, atque aspernatur? Profecto

(1) Natalis Alexander *cit. dissert.* 15.

cto hanc inconstantiae notam vix evadunt quotquot partium studio abrepti, ingenio magis quam veritati indulgent. Itaque mirandum non est Natalem in eum scopulum impegisse, qui cum nostrae traditionis fundamenta nasute admodum perstrinxisset, & perfracte respuisset, idem in aliis vulgaribus opinionibus, & praecipue in Sanctorum Massiliensium traditionibus defendendis, levissima quaeque argumenta liberalissime amplectitur. Verum nec est, quod Romanam Gothici Officii approbationem Natalis desideret, cum, si veritati consuluisset, apud Baronium (1) legere utique potuisset, Joannem X. primum, & postea Alexandrum II. in Hispaniam Jannellum, & Hugonem misisse, qui hujusmodi Breviarium longo adhibito examine comprobarunt, laudaruntque.

XI. Haud meliorem viam ingressus est Cennius, qui, ut argumenti vim declinet, propositi hymni antiquitatem inficiatur, & nonnisi post Maurorum in Hispaniam irruptionem illum confictum, atque in Mozarabicum officium admissum contendit. Idque ex eo confici putat (2), quod Hispanienses Episcopi *antiqui moris retinentissimi* (en illius verba) *veluti abusum sacros hymnos sunt aversati*. Videmini jam mihi omnes contracta fronte auscultasse istius morosi hominis enuntiationem contemptu, & injuria plenam. Quid? Hispanienses Sanctissimi Patres aversari potuerunt, quod *sacrum* erat, quodque *sacrum* putavere? Unde Cennius hoc tam absonum ef-

fa-

(1) Baronium *ad annum* 918. & 1064.
(2) Cennius *d. cap.* 2. *n.* 11.

ſari didicit? Profert ipſe Concilii Bracharenſis I. canonem, in quo haec leguntur (1): *Placuit, ut extra Pſalmos, vel ſcripturarum novi, & veteris Teſtamenti, nihil poetice compoſitum in Eccleſia pſallatur, ſicuti & ſancti praecipiunt canones*. At hic habemus quidem Patres Bracharenſes poeticas compoſitiones fuiſſe averſatos, at neutiquam *ſacros hymnos*. Neque enim quidquid poetice componitur, ſtatim eſt hymnus; nec ſi hymnus dicatur, continuo ſacer erit, niſi in Dei, aut Sanctorum laudem fuerit concinnatus, ut noſter docet Iſidorus (2). Non debuit ergo Cennius illud *poetice compoſitum* Concilii pro ſacris hymnis uſurpare, ut inde Bracharenſes Patres ſacros hymnos reſpuiſſe pronunciaret. Quomodo autem ſeculo VI. damnare poterat Synodus Bracharenſis ſacros hymnos, quos a ſeculo V. jam eſſe per univerſas Occidentis Regiones uſu receptos idem teſtatur Iſidorus (3)? Aut quomodo abhorrere poterant Hiſpanienſes Epiſcopi ſacros hymnos, quos Synodus Agathenſis (4) ſub initium ejuſdem ſexti ſeculi in Hiſpaniarum Eccleſiis cantari conſueviſſe ſatis demonſtrat? Porro haec Synodus dum hy-

(1) Concil. Brachar. I. *an.* 561. *Can.* 22.

(2) S. Iſidorus *Origin. lib. 6. cap. 9.* Proprie autem hymni ſunt continentes laudem Dei. Si ergo ſit laus, & non ſit Dei, non eſt hymnus.

(3) Idem *de offic. Eccleſ. lib. 1. cap. 6.* ubi poſtquam verba fecit de Hilarii, & Ambroſii hymnis haec addit „ Atque inde hymni ex „ ejus nomine Ambroſiani vocantur, quia ejus tempore primum in „ Eccleſia Mediolanenſi celebrari coeperunt, cujus celebritatis devotio „ poſthac per totius Occidentis Eccleſias obſervatur.

(4) Synodus Agathenſis *anno* 506.

hymnos matutinos, & veſpertinos ſingulis diebus in illius provinciae Eccleſiis concini voluit verbis generalibus, *ſicut ubique ſit*, ut in univerſum receptum canendi hymnos morem ſignificaret, uſa eſt. Quamobrem Hiſpaniae Eccleſias ibidem indicari, nemo negabit, niſi qui generali ſignificationi vocis *ubique* apertam vim inferre voluerit. Praecipue ubi quis Agatham Urbem Hiſpaniae finitimam, & Gothico Regno conſociatam attendat. Notum namque eſt, quam ſit opportunum, ordinem Eccleſiaſticum, ubi permittunt Canones, Civili ordini accommodare, ut in hoc propoſito agnoverunt Patres Concilii Toletani IV. (1) cui praefuit Egregius Doctor Iſidorus. Atque ex his praecipue jam elucet, quam temere ſtatuat Romanus Hypercriticus antiquum in Hiſpania morem viguiſſe ſacris hymnis adverſum, cum contra liquido conſtet, ſacros hymnos a prima eorum origine in Hiſpaniae Eccleſiis cantari fuiſſe ſolitum. Ceterum non propterea inficior Canone illo Bracharenſi proſcriptas intelligi poeticas, & plebeias vulgi cantiones, ſicuti & hymnos interdici humano ſtudio elaboratos; ſed non eos, qui *ſacri* nominari queunt, quales ſunt, qui a piis Viris compoſiti, Dei, & Beatorum laudem continent. Illos equidem veluti profanos jure merito a Divino officio rejectos voluere Patres Bracharenſes, antiquis Canonibus inhaerentes, & ſane

illla

(1) Concil. Toletan. IV. *tit.* 2. „ nec diverſa ſit ultra in nobis Ec„ cleſiaſtica conſuetudo, qui in una fide continemur & Regno; hoc „ & antiqui Canones decreverunt, ut unaquaeque Provincia, & pſal„ lendi, & miniſtrandi parem conſuetudinem contineat.

illa memorata verba: *ficut fancti praecipiunt Canones*: manifefte fignificant illos prae oculis habuiffe Canonem Laodicenum 59. quo profani, & vulgares pfalmi in Ecclefia cantari prohibentur. Itaque Bracharenfium Patrum haec mens fuit, ut Sacros nimirum hymnos probarent, & fimul obviam irent, vel plebeiis, & indoctis Cantilenis, quantumvis Laudes Dei praeferentibus, vel inhoneftis in laudem hominum elucubratis poematis, cujus generis fuere, quae Paulus Samofatenus fibi a mulierculis in Ecclefiis canenda curavit (1), quaeve Divo Auguftino tefte (2), Donatiftae, & Prifcillianiftae, quorum haerefis longe lateque per Gallaeciam erat graffata, turpiter excogitarunt. Ad haec ne inficior quidem, Concilio Toletano IV. nonnullos adfuiffe, certo Gallaecos, qui, ut quam maxime a Prifcillianiftis diftarent, ac fecernerentur, literae Canonis Bracharenfis craffe infiftentes, hymnos humano ftudio compofitos, indiftincte improbavere, ex eo (funt verba Canonis) (3), quod *de Scripturis Sanctorum Canonum, vel Apoftolica traditione non exiftunt*. Sed eos dilucide

D re-

(1) Sic PP. Antiocheni *in Epift. ad Dionyfium Papam* „ quae habe„ tur apud Eufebium *hiftor. lib.* 7. *cap.* 24.; & in media Ecclefia folle„ mni Pafchatis die, mulieres, quae inanes Cantilenas (quas, fi quif„ piam audiret, plane exhorrefceret) in ipfius laudem funderent, pararit.

(2) S. Auguftinus *Epift.* 55. *al.* 119. *lib.* 2. *cap.* 18. haec de Donatiftis refert „ Cum ipfi ebrietates fuas ad canticum pfalmorum humano „ genio compofitorum, quafi ad tubam exhortationis inflamment. Et „ *Epift.* 237. (al. 253.) a Prifcillianiftis compofitum hymnum com„ memorat, quem ipfi Chrifto tribuebant, ipfoque fuas tegebant abo„ minationes.

(3) Concil. Toletanum IV. *can.* 13. *in editione Card. de Aguirre, & Jofephi Catalani*.

refellunt ceteri Concilii Patres, tum exemplo hymni *Gloria, & honor Patri, & Filio, &c.* qui in fine cujusque psalmi cantatur; nec non exemplo alterius *Gloria in Excelsis Deo &c.* ab Ecclesia adaucti; tum denique pari ratione precum, & piarum orationum, quae extant in Canone Missae, *ex quibus* (juxta Canonem) *si nulla dicantur in Ecclesia, vacant omnia officia Ecclesiastica*. Quocirca recte concludunt omnes Hispaniae Patres, auctore Isidoro, sicut orationes, ita & hymnos in laudem Dei, Sanctorumque comparatos, neminem posse improbare, adeoque in Gallaecia, aeque ac in reliquis Hispaniarum Ecclesiis, admitti oportere. Huc accedit quoque, quod licet Canon Bracharensis hymnos tantum ex Scriptura depromptos approbare videatur; tamen si Africae disciplinam, quae in Hispania receptissima fuit, consulimus, id eo factum credendum est, ne *forte quid contra fidem per ignorantiam, aut minus studium componeretur*, ut ait Concilium Milevitanum (1); at idem Concilium, sicut & aliud Carthaginense, compositiones illas in Sacrum Officium admisere, quas prudentiores viri elaboraverant, aut quas Synodi approbaverant; quare merito Concilium nostrum intercessit Episcopis Gallaeciae, qui nimio rigore, hymnos studio humano compositos, recipere renuebant, quod illi *de Scripturis Sanctorum Patrum, vel Apostolica traditione non existunt.* Judicate nunc, Auditores Sapientissimi, quam sana cri-

(1) Concil. Milevitanum *Can. XII. tom. III. Collect. Labb. edit. Venet. col.* 383. Concil. Carthaginense III. *Can.* 23. *&* 43. Codex Canonum Africae *apud Labb. tom. II. Concil. col.* 1336. *sub init.*, & Walafridus Strabo *lib. de reb. Eccles. cap.* 23. *edit. Romanae ann.* 1691. *pag.* 346. *col.* 2.

critica Cennius asseruerit, Hispanos Episcopos uti abusum *sacros hymnos* fuisse aversatos. Bracharenses enim quam alieni extiterint ab illis respuendis, jam satis demonstratum est. Ceterum licet hi ab eorum usu aliquando abstinuerint; tamen, cum ipsi unam tantum Hispaniae provinciam constituant, nihil inde certi erui potest, quod nostro proposito officiat: dum contra constat, universos Hispaniarum Praesules, Gallaecis etiam tandem convenientibus, in totius Nationis nostrae Concilio, antiquum & constantem hymnorum usum, & probasse, & vindicasse. Nec Vobis in mentem veniat, horum Patrum sententiam ad Hilarii & Ambrosii hymnos ob id restringere, quod tantum ab his confectos Toletani Patres commemorarunt; quoniam id eo tantum factum est, ut antiquo, & commendabili Sanctissimorum virorum exemplo, qui in hoc poeseωs genere plurimum floruerunt, unus idemque hymnorum usus ubique per Hispaniam servaretur. Neque enim in hoc Concilio quaerebatur, quisnam fuisset Hymnorum auctor; nec de eorum usu, tamquam de re nova in Ecclesias Hispaniae inducenda, disputabatur. Manifesto quidem Patres posuerunt illos in tota Hispania, praeter unam Gallaeciae provinciam, usu fuisse receptos. Et ea propter praecipue eo spectarunt, ut sicuti universa Gallia hymnos humano studio conditos, quales erant hymni Hilarii, & Ambrosii, receperat, ita & Hispania tota eosdem susciperet. Et ne cavillationi locus sit, en verba Canonis: *Quia nonnulli hymni, humano studio in laudem Dei, atque Apostolorum, & Martyrum triumphos compo-*

positi esse noscuntur , sicut hi , quos beatissimi Doctores Hilarius , atque Ambrosius ediderunt , quos tamen quidam specialiter reprobant , pro eo , quod de Scripturis Sanctorum Canonum , vel Apostolica traditione non existunt . . . . sicut igitur orationes , ita hymnos in laudem Dei compositos nullus vestrum ulterius improbet , sed pari modo Gallia , Hispaniaque celebret , excommunicatione plectendi qui hymnos rejicere fuerint ausi . Nec huic proposito alienus esse potuit Isidorus , quem praecipuas in hac Synodo partes sustinuisse compertum est , dum ita ait (1)*: Sunt autem divini hymni: sunt & ingenio humano compositi . Hilarius autem Gallus Episcopus Pictaviensis , eloquentia conspicuus hymnorum carmine floruit primus . Post quem Ambrosius Mediolanensis Episcopus , vir magnae gloriae in Christo , & clarissimus Doctor in Ecclesia , copiosus in hujusmodi carmine claruisse cognoscitur , atque inde hymni ex ejus nomine Ambrosiani vocantur , quia ejus tempore primum in Ecclesia Mediolanensi celebrari coeperunt , cujus celebritatis devotio posthac per totius Occidentis Ecclesias observatur . Carmina autem quaecumque in laudem Dei dicuntur , hymni vocantur* . Observate nunc , qua fide , quove animo Criticus noster , ut producto Jacobi hymno antiquitatem adimat , transcriptis Concilii , & Isidori verbis , duas hasce subdolas statim adjiciat enunciationes (2) I. *In Hispaniis autem secus erat , quippe quas ante invaserunt Ariani , quam hymni Ambrosiani invalescerent* II. *Neque ante annum 633. quum* Con-

(1) S. Isidorus *de offic. Eccles. lib. 1. c. 6.*
(2) Cennius ubi supra

Concilium IV. Toletanum est celebratum, seniore Metropolita Isidoro Praeside, accepti reperiuntur hymni iidem Ambrosiani tota Hispania. Hoc sane quid est aliud, quam legentium menti tenebras velle offundere, & se fore tutum credere, indefinita illa, & implicata vocum usurpatione? Nec hic subsistit homo in tricis excogitandis ingeniosissimus, sed sermonem suum ita prosequitur (1). *Tametsi Venantii, Sedulii, ac praecipue Prudentii gentilis sui possent Hispani per eum aevum decantare hymnos in Apostolorum, & Martyrum triumphos; tamen ante obitum S. Isidori id factum esse ostendet nemo*. At quomodo, mi Cenni, eo tempore cantare potuerunt Hispani hymnos, quos tu paulo ante tradidisti Patres Hispanienses fuisse aversatos? Atque si cantare potuerunt, unde elicis fuisse inauditos ante Isidorum, qui, uti ostendimus, hymnos humano ingenio elaboratos in Divino Hispaniensi officio jam receptos, & agnovit, & approbavit? Nobis hic propositum non est certo designare, cui auctori, cuive aetati sit Jacobeus Hymnus adscribendus; cum abunde sufficiat, nihil obstare, quominus dicamus, hymnum hunc, sicut & alios in Apostolorum, & Martyrum laudem, in tota fere Hispania cantari potuisse, quin & usu receptos seculo V. quo multi apud nos floruerunt SS. Patres sacrae poeseωs studio deditissimi. Quid? Nonne Prudentium Clementem (2) ci-

(1) Cennius ibidem.

(2) Prudentium Clementem Hispanum, qui Seculo IV. vixit, plura poetice scripsisse, inter ea librum de hymnis inscriptum *Cathemerinon*. innumeri auctores testantur, veluti Aldus Manutius *in ejus vita* Bellarminus de *Scriptor. Ecclesiast.* Dupinus, & Nicolaus Antonius *in suis Bibliothecis*, Morerius, & Vailius *in suis Dictionariis* verbo *Prudentius*

plura eleganti metro poemata contexuiſſe ejus libri oſtendunt? Nonne Iſidorus (1) Leandrum multa dulci ſono compoſuiſſe, Ildephonſus (2) Iſidorum, Julianus (3) Ildephonſum ſacros hymnos ſcripſiſſe teſtantur? Sed ecce nova cum Cennio concertatio. Auctor iſte, cum cognoſceret totam machinam, quam tanto opere conſtruxerat, nemine impellente concidere, ſi S. Ildephonſus hymnos panxiſſe concederetur, quippe cui probabiliter adjudicari poſſet hymnus in honorem Jacobi concinnatus, adeoque eſſet Saracenorum invaſione vetuſtior, hanc loco proxime citato adjunxit clauſulam. *Etiamſi Ildephonſo adſcriberetur ille hymnus, nihil tamen promoveri poſſet: quippe Ildephonſus longe poſt tempora Iſidori floruit*. Papae! Si Ildephonſus hujus hymni eſſet auctor, nonne ſequeretur, eum fuiſſe compactum ante Saracenorum irruptionem, cum Ildephonſus annis fere 50. antea deceſſerit, quam Arabes Hiſpaniam invaderent? Quî igitur: *nihil promoveri poſſet*: cum hoc pacto ille hymnus editus probaretur Seculo VII. contra quam ipſe Cennius contendit? At quo modo tolerare poſſumus craſſiſſimum illum Α'ναχρονισμὸν, quo

(1) De S. Leandro Hiſpalenſi haec profert Iſidorus *de Vir. illuſtr. Cap.* 13. & 41. „ In Eccleſiaſticis officiis idem non parvo laboravit ſtudio, „ in toto enim pſalterio duplici editione orationes conſcripſit in ſacri- „ ficio quoque, laudibus, atque pſalmis multa dulci ſono compoſuit.

(2) Iſidorus ſicuti in ordinando univerſo Hiſpanienſi Sacro officio praecipuus fuit Auctor, ita illius partem in hymnis conſiſtentem, eum non omiſiſſe indicat S. Ildephonſus continuator libri Virorum illuſtrium *cap. 9.* & abundantius demonſtrant ejuſdem Iſidori opera, praeſertim duo illi libri, quos *de Officiis Eccleſiaſt.* ſcripſit.

(3) De S. Ildephonſo Julianus Epiſcopus Toletanus *in appendice ad lib. de viris illuſtr.* haec tradit „ partem ſane tertiam miſſarum eſſe „ voluit, hymnorum, atque ſermonum.

quo diserte affirmat Ildephonsum longe post tempora Isidori floruisse, quem & pueris constat Isidori fuisse discipulum? Sed ignoscamus Alienigenae in peregrina historia versanti aliquam ignorationem; quis vero eam feret in homine Censoriam virgulam in res nostras distringente, quae vel literionem dedeceret, cum ea quoque (quis crederet !) illum lateant, quae in R. Breviario quotannis pridie Nonas Aprilis uti *Presbyter Beneficiatus* de Isidoro legat oportet? Liquet igitur nihil esse, quod antiquitati hymni Jacobo dicati refragetur, ut proinde illius elucubratio aut Prudentio, aut Leandro, aut Isidoro, aut Ildephonso, aut saltem alicui ex his Patribus, qui ante Maurorum irruptionem hujuscemodi poematibus devoti, deditique fuerunt, verosimiliter tribui possit. Ex qua hymni antiquitate arguere quoque licet, Jacobi nostri festum peculiari ritu, & officio Hispaniensem Ecclesiam olim celebrasse; nam cum aliorum Apostolorum festa Hispani non praetermiserint celebrare, Jacobi festum majori pompa, ac peculiari hymno recoluisse consentaneum est. Nec nobis quidquam obstant duo illi Codices Calendarii, quos Cennius adeo extollit, in quibus festus Jacobi dies non commemoratur. Ille enim, qui a Francisco de Pisa editus fuit, duos tantum menses complectitur. Alter vero a Josepho Blanchino ex Chartophylacio Veronensi extractus quatuor caret mensibus (1). Cum ergo

(1) Hujus Codicis tanta non est dignitas, atque auctoritas, quantam praedicant Cennius, & Blanchinus; cum in eo multa interpolata,

ergo isthaec Calendaria adeo manca sint, quis inde Jacobi Festum a toto anni circulo exulasse, si recte sentiat, arguere poterit?

XII. His, quae diximus, maximum robur accedit ex iis testimoniis, quae a seculo VII. occurrere incipiunt, traditioni nostrae plurimum faventia. Julianus enim Episcopus Toletanus, qui per id temporis floruit (in Commentario, quod scripsit in *Nabun*) haec habet: *Isti ergo pedes Domini fuerunt, qui eum praedicando per universum orbem detulerunt. Petrus enim eum Romam, Andreas Achajam, Joannes Asiam, Philippus Galliam, Bartholomaeus Parthiam, Simon Aegyptum, Jacobus Hispaniam. . . Jacobus Alphaei eum retulit Hierosolymam*. Similiter Venerabilis Beda, qui VIII. seculo in Anglia magna cum laude vixit, in suis *collectaneis* ait: *Petrus namque Romam accipit, Andreas Achajam, Jacobus Hispaniam*. Quae testimonia clare convincunt, Julianum & Bedam Isidori opusculum *de ortu & obitu Patrum*, dum ea scripserunt, prae oculis habuisse. Nec commoveri vos opinor, quod adversae partis Patroni testimonia haec, tamquam suspectae fidei, rejiciant, quando jam novistis recentiorum Hypercriticorum morem, qui dum urgentur, vana quaerunt effugia, & dum intelligunt, Ecclesiae Patres eorum adversari opinionibus, non dubitant in suspicionem adducere libros, quos Majores nostri unanimi consensu veluti genuinos il-

ta, multa fraudulenter vel adjecta, vel omissa conquerantur Ludovicus Muratorius. *Diss. de Liturg. Rom. Vet. cap. 3. col. XXI. & XXIX.* Et Franciscus Perezius Bayerius vir πολυμαθέστατος, & πολύγλωττος, mihique Amicissimus. *Diss. de Laurentio, & Damaso cap. VII.*

illis adscripserunt: praeterquam quod vos aequiores fore spero, quam ut credatis, Hispanos homines improba falsandi arte adeo valuisse, ut nedum in Hispania, sed & in Germania, Gallia, Angliaque tot Bibliothecas vitiaverint, totque Scriptorum editiones corruperint. Multoque vero minus severis Censoribus, puto, assentietis, si Juliani, & Bedae testimonia cum alio non controverso Beati Presbyteri Liebanensis, qui eodem seculo VIII. floruit, omnino conferatis, cujus ecce verba (1). *Hi duodecim sunt Christi Discipuli Praedicatores Fidei, & Doctores Gentium: qui dum omnes unum sint, singuli autem eorum ad praedicandum in mundo sortes proprias acceperunt: Petrus Roma, Andreas Achaja, Thomas India, Jacobus Spania, Joannes Asia, Matthaeus Macedonia, Philippus Gallia, Bartholomaeus Lycaonia, Simon Zelotes Aegypto, Jacobus Frater Domini Jerusalem: Paulo autem cum ceteris Apostolis nulla sors traditur propria, quia in omnibus gentibus Magister, & Praedicator eligitur.*

XIII. In tanta porro monumentorum sibi mutuo consonantium copia, invida plane ac insana obtrectandi libidine debacchentur oportet, quicunque inanes adhuc falsi notas illis affingere audent, ut traditionem nostram seculo VIII. in Hispania receptam esse inficientur. Sed ne nos his tantum probationibus innixos, aliisque destitutos quis opinetur,

E ut

(1) Beatus Presbyter Liebanensis *in Commentariis in Apocalypsim*, de cujus auctoritate videndus Card. de Aguirre *tom.* 1. *Concilior. Hispaniae dissertat.* 9. *excursu* 3. *a n.* 30.

ut eam, quam Adverſarii oppugnant antiquitatem, vindicemus, aliam evidentiorem adjungimus ab ejuſdem traditionis per ſeculum VIII. apud exteras Nationes propagatione petitam. Nec porro animo tam pervicaci quiſquam erit, ut contendat ignotam fuiſſe Hiſpanis de rebus ſuis ſententiam, quae Exteris jam innotuerat. In Martyrologio enim Blumano, ſeu Weiſemburgenſi anno 772. exarato haec habentur (1): *Jacobus qui interpretatur ſupplantator, filius Zebedaei, frater Joannis. Hic Spaniam, & occidentalia loca praedicatur: & ſub Herode gladio caeſus occubuit. Sepultuſque in Acajam Marmoricam VIII. Kal. Auguſti* (2). Huic reſpondet aliud Martyrologium Gallicanum, ſeu Gelonenſe a Cl. Luca Acherio in lucem editum, qui in tom. XIII. ſuae collectionis, in ejus prologo animadvertit illud ſcriptum fuiſſe anno circiter 804., inque eo praecedentis Weiſemburgenſis verba pari modo legi, ſi tantum haec excipias: *Hic Spaniae, & occidentalia loca praedicator*. Duobus hiſce Martyrologiis accedit & tertium ex manuſcriptis S. Germani Altiſiodorenſis eductum, quod Edmundus Martenius Pariſiis publicavit anno 1717., quo tempore mille annorum antiquitatem illi tribuit. Tot tantiſque inſpectis vetuſtis monumentis ſibi invicem conſentientibus, deſiſtant tandem

(1) Hoc Martyrologium incluſit Franciſcus Maria Florentinus *in ſuo Martyrologio Lucae edito anno 1668.*

(2) Dum de verborum ſenſu conſtat, neminem, puto, offendent illa Amanuenſium errata *praedicatur* pro *praedicator*, & *Acajam Marmoream* pro in *Arcam marmoream*, quae ita eſſe ſubſtituenda erudite demonſtrat Florezius *d. cap.* 3. §. 12. *n.* 139. & §. 9. *n.* 125.

dem contrariae causae Patroni traditionem nostram recentem, & antiquis ignotam praedicare, quo eam nonnisi seculo IX. post Jacobi corporis inventionem primum excitatam esse demonstrent. Quamvis enim ultro concedamus, sacris illis Reliquiis divinitus detectis, quam maxime apud Christi fideles ubique gentium adauctum fuisse erga nostrum Apostolum pietatis studium; constanter tamen tenemus, superioribus documentis innixi, famam opinionemque Jacobeae in Hispania praedicationis jam a seculo VIII. apud exteras etiam gentes plurimum invaluisse. Hoc sane tempore extra Hispaniae limites traditionem nostram prodiisse, quam recte statuamus, facile intelligetis, si memoria vestra repetetis ingentem illam cladem, qua Saraceni e vicina Africa irruentes initio ejusdem VIII. seculi universam fere Hispaniam saevissime divexarunt, sacraque, prosanaque omnia in tantum perturbarunt, ut territi Episcopi, Sacerdotes, aliique Fideles ad exteras Regiones convolarint. Hinc vero, cum eorum, quae in pretio habentur, maxima cura in hujusmodi casibus esse soleat, quid omnino verosimilius afferri potest, quam Hispanos homines, barbarorum Arabum truculentiam fugientes, sacros libros, ac Patrum scripta secum asportasse, & tum iis monumentis, tum voce aditis populis suam de Jacobi in Hispaniam accessu sententiam communicasse? Jure merito ergo censemus huic potius antiquiori causae propagationem traditionis nostrae extra Hispanias tribuendam esse, quam posteriori Apostoli corporis inventioni, ut comminiscuntur, qui in contraria moventur.

XIV. Expendimus huc usque praecipua Sententiae nostrae fundamenta (1), eaque ab Adversariorum objectis vindicavimus. Praestat nunc, quae ipsi nobis argumenta opponunt, examinare, & cum nostris conferre, ut, quaenam potentiora sint, judicetis. Et quidem primum, quod maximopere ostentant, est illud, quod a silentio antiquorum Patrum repetunt, qui cum de itineribus Apostolicis scripsissent, profectionis Jacobi in Hispaniam nullam uspiam mentionem fecere. Cui argumento & speciatim addunt singulare quoddam, & a nobis minime spernendum monumentum seculo X., aut potius XI. vel XII. proditum, Historiam scilicet Compostellanam, quae, licet ipse ejus titulus exigere videretur, ut Jacobeam in Hispania praedicationem commemoraret, & ab ea exordium totius narrationis desumeret; tamen non modo illam omnino praeterit, sed etiam Jacobum nostrum Jerosolyma nunquam discessisse demonstrat hisce verbis (2). *Aliis itaque Apostolis ex praecepto Domini in diversas provincias & ad diversas Civitates Evangelicae praedicationis studio com-*

(1) Hac in dissertatione non pauca dedita opera praetermittimus documenta, quia eorum quaedam licet continentem traditionis nostrae seriem, ac possessionem ostendant; tamen utpote recentiora Corporis Jacobei inventione, non sunt tantae vetustatis, ut Adversarios convincant; alia autem veluti Homiliae Callisti II. cum tanquam commentitia de more ab eisdem rejiciantur, longa nimis oratione opus esset, si illos, ut fieri posset, refellere vellemus: quare satius ducimus ad alia properare, quam controversiis controversias inutiliter coacervare. Si quis vero velit videre, cujus sunt roboris haec omissa monumenta, consulat Cl. Scriptores, qui de iis ex professo pertractarunt.

(2) Historia Compostellana *in principio*, ut habetur apud Florezium *cit. tom.* 3. *in appendice n. X.*

commigrantibus, *Beatus Jacobus Sancti Joannis Apostoli*, *& Evangelistae frater Jerosolymis remansit Verbum Dei praedicaturus*, *ibique ab Herode ob Christi confessionem*, *& Catholicae fidei assertionem decollatus &c.* Unde certo Adversarii deducere putant traditionem nostram non alio inniti fundamento, nisi recenti ignari vulgi fide, piaque Hispanorum erga Jacobum Apostolum animi conspiratione.

XV. Longior porro essem in hujusmodi difficultatis enodatione, si apud alios agerem, quam apud vos. A. Opt. qui in sobria, castaque critice exculti, quam fallax, quam lubricum sit argumentum *negans*, nisi plura concurrant, optime nostis. Illud enim, si indiscriminatim admitteretur, de omnibus fere Ecclesiasticis traditionibus actum esset. Nos autem hic maximi Hieronymi tutissimae inhaerebimus regulae, quam Licinio Baetico dedit his verbis (1). *Illud te breviter admonendum puto*, *traditiones Ecclesiasticas praesertim*, *quae Fidei non officiunt*, *observandas*, *ut a Majoribus traditae*. In re vero nostra, etsi veterum testimonia deficerent, nihil tamen vacillaret, nutaretque Hispanorum traditio. Fama enim tot seculorum lapsu constans, summa Hispani populi consensio, Caesaraugustani Templi in honorem Deiparae ab Apostolo nostro (quod magno consensu Hispani tenent) facta constructio, & insigne, splendidumque ejus sepulcrum, Jacobum Majorem in Hispania Evangelium praedicasse, satis superque convincunt. Haec igitur om-

(1) S. Hieronymus *Epist.* 28.

omnia, cum nostram mirifice corroborent traditionem, externis testibus (etsi deessent, quod falsum est) non egemus, ut illam avita religione defendamus, atque veneremur. Sic porro Eusebius, quo Petrum Romae fidem Christi promulgasse, ibique mortem subiisse ostenderet, veterum silentium, quod sibi opponi poterat, ipso Petri sepulcro, tanquam validiori monumento, per quam longe superari judicavit hisce verbis (1). *Horum testimonium quaerere extrinsecus, superfluum puto, cum rem gestam insignia usque in hodiernam diem, & splendidissima eorum monumenta testantur*. Sed quid immoramur? Poteritne veterum Silentium recte objici, ubi pro nobis loquuntur Scriptores VIII., & VII. seculi, quos jam produxi? Eritne traditio antiquis testimoniis destituta, quae apertis verbis Hieronymi V. seculo ineunte scribentis (2) confirmatur? Quod si quis majorem desideret antiquitatem, poterit utique acquiescere in fide unius Doctoris Maximi, quem vel ipse Baronius fatetur (3), non a turbidis, sed ab ingenuis antiquitatis fontibus hausisse, quae posteritatis memoriae commendavit: adeo ut merito conjici possit, Jacobi in Hispaniam profectionem, ibique praedicationem Hieronymum ex antiquorum scriptis decerpsisse, quae postea temporis injuria perierint; quam vicem certo aliquibus con-

(1) Eusebius *Histor. lib. 2. cap. 25.*

(2) Caveus *in lib. de Scriptor. Eccles.* affirmat S. Hieronymum edidisse Commentarium in Isaiam *anno* 410.

(3) Baronius *ad diem* 22. *Martii*.

contigiſſe, Euſebius refert (1). Ad hiſtoriam vero Compoſtellanam quod attinet, non dubito, quin illius ſilentio de Jacobi in Hiſpania praedicatione prima fronte commoveatur, quicumque operis dumtaxat titulo velit inhaerere; ſed ſi is illius ſcopum, & aetatem diligenter inſpexerit, intelliget profecto, illic nihil eſſe, quod cauſae noſtrae adverſetur. Exploratum quidem eſt, Scriptores illius hiſtoriae non Apoſtoli noſtri, ſed Praeſulum Compoſtellanorum, & prae omnibus Didaci Gelmirezii res geſtas poſterorum memoriae demandandas ſuſcepiſſe; quapropter recte putaverunt, nec antiquiora ſibi eſſe perquirenda, nec Jacobi praedicationem commemorandam, quippe quae extra propoſiti ſui cancellos verſabantur. Ipſis enim ad alia, quam ad initium Chriſtianae Religionis ab Hiſpanis receptae, indicanda properantibus ſatis fuit ea tantum, quae de Zebedaei Filio *ex veritate Evangelica* (ut in ipſo exordio ajunt) didicerant, obiter attingere. Cumque autem Jacobea in Hiſpaniis praedicatio in ſacro Codice non legatur, nihil porro eſt, quod miremur, Hiſtoriographos illos ne verbum quidem de ea feciſſe: ſicuti etiam brevitati conſulentes, nec in Judaea, nec in Samaria eundem Apoſtolum novam Chriſti legem annunciaſſe tradiderunt, quod alioquin adeo conſtat, ut in dubium a nemine vertatur. Et ſane nulla erat neceſſitas, qua Compoſtellanae

(1) Euſebius *hiſtoriae cap.* 3. „ Per Imperatoris (Diocletiani) literas palam edictum fuit, ut deturbarentur Eccleſiae, ſoloque aequarentur, ut ſcripturae abſumerentur igni.

nae Ecclesiae principium cum Apostolica Praedicatione conjungeretur; quandoquidem illam excitatam comperimus, non propter Evangelium a Jacobo in Hispanias illatum, sed propter ejus inventi corporis honorem, dignitatemque. Deinde consideremus oportet, laudatam historiam initio seculi XII. fuisse conscriptam, quo plane tempore nec in Hispania, nec in exteris Regionibus quemquam offendimus, qui Jacobum Hispanicae genti Dei verbum promulgasse dubitaret. Nec vero severiores aevi hujusce Critici monumenta SS. Corporis inventione, quae seculo IX. contigit, recentiora a nobis expostulant, cum & ipsi concedant traditionem nostram ab illis divina ope detectis Reliquiis exortam ubique fuisse propagatam. Unde facile convincuntur Compostellanae historiae Auctores Jacobi in Hispanias profectionem, ibique Evangelicam praedicationem omisisse, quod jam illius famam, atque celebritatem ea tempestate, CCC. nimirum annis ab invento Apostoli nostri corpore, latissime pervulgatam, & ad institutum suum minime necessariam, non esse ulterius promovendam crediderunt. Cognita igitur mente, & aetate, qua ea historia fuit exornata, longe quidem discrepamus a Cennii (1) sententia, qui de more suo illam uti *figmentum omnium celeberrimum* explodit, quod certe non fecisset, si serio, ac libero animo ea perpendisset, quae Nostrates, & praecipue Florezius (2) hac de re in publicam lucem ediderunt.

XVI.

(1) Cennius *d. cap.* 2. *pag.* 27.
(2) Florezius *d. cap.* 3. §. 15.

XVI. Haud dubie Traditio nostra contrariae sententiae Patronis firmior visa est, quam ut argumento *negante* convelli possit, eamque ob rem nullum ipsi non movent lapidem, quo Jacobum ad Hispaniam accedere non *potuisse* commonstrent. Hoc autem assequi se putant auctoritate Clementis Alexandrini (1), qui seculo III. haec in suis Stromatibus scripsit: *Propterea dicit Petrus Dominum dixisse, si quis ergo velit ex Israel duci poenitentia, & propter nomen meum credere in Deum: remittuntur ei peccata. Post duodecim annos egredimini in Mundum, ne quis dicat, non audivimus.* Huic sane Christi praecepto, quod Principem Apostolorum palam fecisse tradit Clemens, concinere videtur traditio Apollonii antiqui Theologi, quam ita refert Eusebius (2): *Apollonius antiquus Theologus agens adversus Cataphrygas testatur, se traditione accepisse Salvatorem mandatum dedisse Apostolis, ne usque ad duodecim annos ab Jerosolymis discederent.* His autem propositis, Adversarii ita nunc ratiocinantur. Apostoli nonnisi anno 12. post Christi obitum, qui secundum Aeram vulgarem est 46., Jerosolyma discedere, & in Orbis provincias proficisci potuerunt; Jacobus vero anno 42. ejusdem Aerae, uti receptior docet sententia, obiit; igitur in Hispanias eum concessisse nullo pacto affirmari potest.

XVII. Quam maxime hac temporum supputatione implicarer, nisi mihi affulgeret alia securior totius difficultatis removendae ratio ex sacra Historia

F de-

(1) Clemens Alexandrinus *lib. 6. Stromat.*
(2) Eusebius *lib. 5. Histor. Eccles. cap. 18.*

deprompta, quam paulo post subjiciam: interim tamen ne gravissima magni nominis virorum, Clementis videlicet, atque Eusebii auctoritas quenquam vestrum perturbet; ducimus hic nonnulla sollerter expendere, quae hosce Auctores nobis minime obstare convincent. In primis enim juxta melioris notae Criticos non post verbum *peccata*, sed post vocem *annos* punctum in oratione Clementis locandum esse contendimus, quo facto Domini jussum non refertur ad dispersionem Apostolorum, sed ad tempus remittendi peccata Judaeis, qui toto illo duodecim annorum spatio in statu Catechumenorum perseverarent oportebat, ut eorum protervia superaretur, & vera ad Christi Fidem conversio comprobaretur, sicuti erudite demonstrat Franciscus Almeida Academicus Lusitanus (1). At quamvis a priore lectione non recedamus, est tamen aliud majoris momenti, quo objecta testimonia enervantur, aut potius diluuntur, si credimus Caveo (2), qui diserte tradit, jam a primis nascentis Ecclesiae seculis, quaedam circumferri sub Petri nomine omnino apocrypha, in quorum numero recenset laudatus Criticus ea fragmenta, quae de Petri praedicatione contexuit Clemens Alexandrinus in suis Stroma-

(1) Franc. Almeyda in Opere: *Apparato para a Disciplina e Ritos Ecclesiasticos de Portugal tom.* 1. *cap.* 3. *n.* 34.

(2) Caveus *de Scriptor. Ecclesiast. seculo I. pag.* 4. *col.* 2. ,, Sequuntur
,, jam Apocrypha, quae olim sub Petri nomine circumferebantur; spu-
,, ria quidem, sed vetusta, aevi, ut videtur, Apostolici, saltem proxi-
,, me sequentis; de quibus agit Eusebius loco citato. Qualia erant κή-
,, ρυγμα, sive praedicatio, cujus fragmenta videre est apud Clem. Alex.
,, *Strom. lib.* 6.

matibus. Nec dubitabit id ſibi perſuadere, quicumque noverit, huic Doctori eam notam a Viris eruditis communiter aſpergi, quod nimis credulus fuerit, adeoque doctrina magis, quam Critices uſu claruerit. Ergo cum eſſet ea famâ, cujus origo D.Petro falſo tribuebatur, ſatis ſuperque divulgatum, Chriſtum Dominum praecepiſſe, ut Apoſtoli Jeroſolymis uſque ad duodecimum annum permanerent, nihil ſane veroſimilius videtur, quam Apollonium vulgi rumore traductum id ipſum tanquam aliquid a Majoribus traditum aliis communicaſſe; quamvis illud ipſi non ſatis eſſet exploratum, ut graecum Euſebii autographum aperte ſignificat his verbis: *Ὡς ἐκ παραδόσεως*, *tanquam ex traditione:* quibus videtur Apollonius dubitanter, non certo praeceptum illud protuliſſe. Ex quo jam liquet quam merito ejuſmodi traditio, quae tanto opere extollitur, a pleriſque fuerit rejecta, atque exploſa (1), quorum quidem judicium ſi non longe diſtat a veritate, nobis non eſt opus ad ſententiam illam confugere, qua probabiliter tenuit Daniel Papebrochius (2) in allatum Euſebii textum mendum irrepſiſſe, & loco *duos annos* fuiſſe *duodecim* ſuppoſitum. Verum etſi eam, qualiſcumque ſit, admittimus, non

(1) Natalis Alexander *Hiſtor. Eccleſ. Seculo I. diſſertat.* 12. *concluſ.* 3. *Tillemontius Memoir. pour l' Hiſtoire Eccleſiaſt. tom. I. not. 6. ſur S. Matthieu*, atque plures alii, quos refert Emmanuel Cajetanus Souſa Luſitanus *in tract. de expedit. Hiſpanic. S. Jacobi tom. I. p. 2. ſect. 2. aſſert. 19.*

(2) Daniel Papebrochius *in Conatu Chrono. hiſtor. diſſert. 2. de ſedibus Antiochena, & Romana nu. 2.*

eſt tamen tanti ponderis, ut proinde a noſtra ſententia dimoveamur, cum poſſit illa ita commode accipi, ut intra duodecim a Chriſti morte annos Jeroſolymis Apoſtoli non omnes ſimul exceſſerint; ſed toto illo ſpatio eorum aliquis ibi permanſerit, aut potius ut ante id temporis Apoſtoli Jeroſolymis, & a Judaea non abierint, nunquam amplius illuc redituri; quod utique ita eveniſſe ſacra Hiſtoria nos docet, dum per longum tempus quorundam Apoſtolorum diſceſſiones, & eorundem in Judaeam reverſiones, commemorat; qua ratione vel tunc cum Apoſtoli ad remotas Provincias commigrarunt, Jeroſolymis manſiſſe dici poterant; & ſi quandoque diſcedebant, peregrinari videbantur, & cum redirent, peregrinari deſiſtebant, ut Civilis ſapientia eleganter diſcernit (1). Idque ipſum clare conficitur ſacratiore exemplo D. Pauli, qui licet in Actis Apoſtolicis (2) legatur per triennium manſiſſe Epheſi, tamen aliunde conſtat, non perpetuo ibi triennio eſſe commoratum, ſed ad alias, ut occaſio erat, abiiſſe Civitates; ſic etiam Petrus dicitur tenuiſſe Romanam Sedem annis 25., & Antiochenam, antequam Romam pergeret, per annos 7., cum tamen toto hoc tempore non aſſidue Romae, aut Antiochiae conſtiterit, ſed identidem receſſerit, atque re-

(1) *Leg. Cives* 7. *Cod. de Incolis*, ubi haec leguntur: „ Habere domicilium non ambigitur, ubi quis larem, rerumque, ac fortunarum „ ſuarum ſummam conſtituit, unde (rurſus) non ſit diſceſſurus, ſi nihil avocet: unde cum profectus eſt, peregrinari videtur: quod ſi „ rediit, peregrinari jam deſtitit.
(2) *Act. Apoſt. cap.* 20. *v.* 31.

redierit. Quae omnia evincunt, Jacobum optime potuisse intra illos duodecim annos ad Hispanias proficisci, salva, etiamsi vera esset, Apollonii traditione.

XVIII. Verum ne nos penitus expediti ab Adversariorum oppugnationibus videamur, insurgunt alii, qui Apostolos Jerosolymis commoratos, nec ad praedicandum gentibus extra Judaeam egressos usque ad secundam Ecclesiae persecutionem contendunt, quae cum anno 42. contigerit, & in eadem Jacobus obierit, eum in Hispaniam discedere non potuisse colligunt: cujus argumenti vim augeri censent ex eo, quod Lucas cum recenset primam Ecclesiae persecutionem, & necem Stephani, quae anno 33. Aerae Vulgaris accidit (1), discipulos ob metum obortae tempestatis per Regiones Judaeae, & Samariae dispersos describit (2), Apostolos autem Jerosolymis constantes permansisse dicit: atque ibidem eosdem resedisse usque ad secundam persecutionem anni 42. luculenter indicat Chrysostomus his verbis (3): *Apostoli praedicaverunt Judaeis, longoque temporis spatio caesi, & flagellati in Judaea manentes, ac demum ab ipsis propulsi, in gentes profecti sunt*. Quin etiam & moram hanc perquam necessariam fuisse Adversarii adjungunt, ut confirmata & convicta pertinacia Judaeorum, quibus prior diuturniorque Evangelii prae-

(1) Calmet *in Dictionario verbo Paulum*.

(2) *Act. Apost. C. VIII. v. I.* „ facta est autem in illa die persecu-
„ tio magna in Ecclesia, quae erat Jerosolymis, & omnes Discipuli
„ dispersi sunt per regiones Judaeae, & Samariae praeter Apostolos.

(3) Jo: Chrysostomus *homil. 7. in Matth.*

praedicatio erat a Deo destinata, Apostoli ad Gentes Christo subjugandas se possent transferre, uti significavit Paulus Judaeos increpans his verbis (1): *Vobis oportebat primum loqui Verbum Dei. Sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis aeternae vitae, ecce convertimur ad Gentes: Sic enim nobis praecepit Dominus, posui te in lucem Gentibus, ut sis in salutem usque ad extremum terrae.*

XIX. Illi autem, qui ita argumentantur, aut non vident, aut se non videre simulant, quam parum scripturae Sacrae consentanea sit ejusmodi ratiocinatio. Profecto non aliud, nec longius tempus Jerosolymis permanendi Apostolis a Christo praefinitum, praeceptumve legimus, quam decem dies complendos ab ejusdem Domini Ascensione in Caelum usque ad Spiritus Sancti in eosdem descensum, juxta illa verba Lucae (2): *& convescens praecepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum*. Quapropter hoc brevi exacto tempore, nulla divina jussione, quam sciamus, Apostoli in Civitate congregati remanere cogebantur, proindeque ipsis permissum erat in alias Regiones abire. Et quamvis certo certius sit, eodem primo anno post Christi mortem labente, & prima Judaeorum persecutione adhuc saeviente, dispersis ob metum Discipulis alio aliis, Apostolos Jerosolymis constanter perstitisse: tamen ubi illa tempestas, Pauli ad fidem con-

(1) *Act. Apost. cap.* 13. *v.* 40.
(2) Ibidem *cap.* 1. *v.* 4.

converſione, deferbuit, & Eccleſia a vexationibus reſpirare potuit, Apoſtolos ſe invicem dividere, & Jeroſolymis diſcedere coepiſſe, abunde quidem apparet ex ſacra Hiſtoria, qua docemur, non diu poſt ſtragem Stephani, quae in illa prima perſecutione patrata fuit, Petrum & Joannem a ceteris Apoſtolis Samariam miſſos fuiſſe (1); nec longe poſt eundem Petrum circumjacentes Judeae Regiones peragraſſe; de quo teſtatur Sacer Hiſtoricus dicens (2), quod *pertranſiret univerſos, & deveniret ad ſanctos, qui habitabant Lyddae*.

XX. Ceterum licet tribus, vel ſummum quatuor annis a morte Chriſti non conſtet, Apoſtolos ad remotas Gentium Provincias advolaſſe; imo & credibile ſit, pene omnes ſemper Jeruſalem permanſiſſe, nec ex Judaeae, & Paleſtinae terminis exceſſiſſe; nihilominus ab eo tempore, quod anno *36*. vel 37. Aerae vulgaris reſpondet, Apoſtolos, non unum, aut alterum, nec ad finitimas tantum Jeruſalem Regiones, ſed omnes fere ad cunctas terrarum Provincias profectos fuiſſe, credere par eſt; quia pax, qua id temporis fruebatur Eccleſia per totam Judaeam, Galilaeam, & Samariam, Apoſtolis alio commigrandi opportuniſſimam viam explanaverat. Quod revera ita contigiſſe luculentiſſime oſtendit Paulus; qui ſcribens ad Galatas (3) teſtatur ſe, cum Jeroſolymam perveniſſet triennio poſt ſuam converſionem (ni-

(1) Ibidem *cap*. 8. *v*. 13.
(2) Ibidem *cap*. 9. *v*. 32.
(3) D. Paulus *in Epiſt. ad Galatas cap*. 1. *v*. 18. *&* 19.

(nimirum 37. aut 38. anno Aerae vulgaris (1)) nullum alium ibi invenisse Apostolum praeter Petrum, & Jacobum: *Deinde*, inquit Paulus, *post annos tres veni Jerosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim: alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini*. Quod quidem ita accidisse Hieronymus observat, non quod Paulus reliquos Apostolos videre aut neglexerit, aut contempserit, sed quia jam essent toto Orbe dispersi (2). Nec vero a Hieronymo dissidet Chrysostomus, quod Apostolos *longo tempore* in Judaea commoratos exprimit verbis supra relatis. Etenim praeterquamquod non Jerosolymis, ut Adversarii volunt; sed in Judaea mansisse illos affirmat; longum illud tempus satis abunde expletum videtur illo spatio trium, aut quatuor annorum, qui a morte Christi usque ad Apostolicam dispersionem, juxta supputationem a me jam indicatam, effluxerunt: sed & insuper longum tempus illud rectissime dici potest, si cum brevi mansione, quam, velocissimo Evangelicae praedicationis cursu instante, apud alias Gentes Apostoli traxerunt, conferatur. Quae omnia satis evincunt, Apostolos ab anno 36. aut 37. ad remotas Gentes, ut eis Evangelium nuntiarent, perge-

(1) Martyrologium Romanum Pauli conversionem ad annum secundum post Christi ascensionem, idest 35. Aerae vulgaris, refert Natalis Alexander *in seculo I. cap. 7. &* 50. ad primum post ascensionem, & ita ad annum 34. Aerae vulgaris, & inde diversa supputatio triennii post Pauli conversionem.

(2) Hieronymus *in Epist. ad Galat. I. in fine* „ *Non vidit autem eos: „ quod contemptui duceret, sed quod illi ad Evangelium praedicandum „ toto fuerant Orbe dispersi*.

gere coepisse ; ac proinde Jacobum, cui vitae spatium brevius supererat, divino instinctu impulsum, ocyus in Hispaniam, quae sibi in sortem obvenerat, advolare & voluisse & potuisse.

XXI. Verum quis crederet? Adhuc contrariae sententiae Defensores Jacobi in Hispaniam iter, quamvis fieri per illam temporis intercapedinem potuerit, supervacaneum tunc fore autumant; ut hoc uno tanquam improbabile illud rejiciant. Nam quo bono, inquiunt, Jacobus in Hispaniam iret, cum ibi tunc non essent, quibus praedicaret? Num Judaeis? At hi eo tempore in Hispania non erant, ut fert plurium opinio (1). Num Gentibus? Sed his quidem longe minus Jacobus Evangelium nuntiare poterat, quia Gentibus Evangelii Ostium non antea fuit apertum, quam Petrus Centurionem cum tota ejus domo (quae propterea *primitiae* Gentium dicta est) ad fidem convertit; quod quidem evenit circa idem tempus, quo occisus fuit Jacobus, uti aperte docet Lucas, qui postquam *cap.* 10. *Actuum Apostolorum* Centurionis retulit conversionem, *cap.* 12. haec subjungit: *Eodem autem tempore misit Herodes Rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio*. Unde consequitur Jacobum Gentibus praedicare non potuisse, etsi in Hispaniam perrexisset, ac proinde non nisi frustra & ipse hujusmodi tentasset iter.

XXII. Hujus argumenti (quod aeque infirmum, ac speciosum judico) primae parti fieri satis puto

G rece-

(1) Videndus Ribera *in Commentario in Abdiam*.

receptiore Hispaniae Historicorum opinione, quae vel ab aetate Salomonis, vel a captivitate Sedeciae Regis, Judaeos Hispanias adiisse tenet, quaeque consentanea etiam est sacrae Historiae, quae Hebraeos *ex omni Regione, quae sub caelo est* (1), Jerosolymis, nascente Ecclesia, congregatos memorans, satis indicat eos in Hispania quoque tunc extitisse, nec ulla sane ratio apparet, qua Hispana Natio ab ea universali enuntiatione excipi debeat. Sed omnem dubitationem tollit Joannes Chrysostomus (2), qui pro certo tradit D. Paulum post biennium Romae de vinculis dimissum, in Hispanias transiisse, & illic Judaeos quoque invisisse. Praeterea quominus Gentibus etiam in Hispania (de quibus in altera parte argumenti agitur) Jacobus Evangelium praedicare potuerit, nihil est, quod prohibeat. Consulat, quicumque velit, Sacram Scripturam, & statim perspiciet, post descensum Spiritus Sancti, novi foederis legem Gentibus promulgare, non fuisse prorsus Apostolis interdictum, sed tantum ordinem praedicandi designatum, & quamdam praelationem Judaeis fuisse concessam, ut ipsi veluti Populo Electo Evangelium primo nuntiaretur: at hoc non impediebat, quominus Apostolis eo tempore, quo Judaeis illuminandis & ad Christum reducendis primam præcipuamque operam impendebant, aliquot Gentium in transitu, & ut se occasio dabat, ad novam Legem adscisce-

(1) *Act. Apost. cap. 2. v. 5.*

(2) Joannes Chrysostomus *in Homilia 26. in Matthaeum*, loquens de Paulo haec ait „ Cum igitur Romae biennium exegisset in vinculis, „ tandem in Hispanias profectus, invisit illic Judaeos &c.

ſcerent; non ſecus ac Philippus Diaconus Candacis Reginae Eunuchum Aethiopem legitur adſciviſſe. Sed liberaliores ſimus, & noſtris Oppugnatoribus permittamus, toto illo temporis ſpatio, quod ipſis arridet, Evangelii oſtium Gentibus fuiſſe in univerſum occluſum, & eiſdem pariter Chriſti doctrinam tradere Apoſtolos fuiſſe inhibitos: nullamne exceptionem generalis haec Regula patietur? Porro & ipſe Chriſtus, qui dixerat (1): *non ſum miſſus niſi ad oves, quae perierunt Domus Iſrael*, non multo poſt, & Chananaeam recepit, atque alios Ethnicos, & Samaritanos. At ſint etiam haec omnia indicta, & Gentibus Evangelii Oſtium nonniſi poſt Centurionis converſionem omnino patefactum demus; nihil quoque inde conficitur, quod nobis refragetur. Si enim verum eſt, quod Patrum teſtimoniis, Scripturaeque auctoritate jam ſatis oſtendimus, Apoſtolos nimirum ad praedicandum Gentibus Evangelium quarto anno a Chriſti morte toto Orbe fuiſſe diſperſos, id in anteceſſum etiam aſſumere, & affirmare opus erit, eodem anno Centurionem jam fuiſſe a Petro ad Chriſti legem converſum, cum alias ex ipſa Adverſariorum ſententia Evangelii annuntiatio nondum Gentibus patuiſſet, nec ad eaſdem concionatum jam iviſſent Apoſtoli. Ergo cum Jacobus non niſi octavo anno poſt Servatoris noſtri mortem vita functus fuerit, quatuor annos & ipſe habuit, poſt factam Gentibus Evangelii copiam, quibus commodiſſime Hiſpaniam adi-

G 2

(1) Matthaei *cap.* 5. *v.* 24.

adire , & Jerofolymam redire potuit. Nec credamus, Lucam conjunxiffe tempus mortis Jacobi , & converfionis Centurionis propter illa verba . *Eodem autem tempore misit Herodes &c.* Nam auctor eft nobis Chryfoftomus (1) , ejufmodi Sacrae Scripturae formulas: *tunc*, *eodem tempore*, *in diebus illis*, & id genus alias, nec innuere abfolutam conjunctionem temporum, nec arctam praecedentium dictorum cum fequentibus connexionem , fed folum indefinitum quoddam fpatium non aeque longum, ac praecedens, vel fubfequens, quod pluribus ex Sacro textu petitis exemplis confirmat. Nec praetereundum, Beato Lucae, praefertim in Actis Apoftolorum, illud ὕστερον πρότερον nimis familiare fuiffe, ut obfervat Genebrardus (2) : unde Oecumenius (3) in eadem verba : *Eodem tempore misit Herodes &c.* ita fcribit: *Lucam tempus illud dicere, quod erat fub Claudio Caefare, nam fuperiore capite fcripferat de fame illa fub Claudio graffante, & de eleemofynis collectis : non itaque fignare eodem tempore, quo Jacobus occifus eft, Cornelium fuiffe baptizatum.*

XXIII. Ex his, ni fallor, quae hactenus difputavimus , quidquid de tempore Apoftolicae difperfionis nobis objiciunt Adverfarii , id profecto vel omnino incertum effe , vel nullo fatis ftabili fundamento inniti lubenter concedet, quicumque diffentiendi libidine non ufquequaque trahatur ; qua certe abreptus fuiffe mihi videtur Michael de S. Ma-

(1) S. Chryfoftomus *hom.* 10. *&* 77. *in Matth.*
(2) Genebrardus *in Cronographia*.
(3) Oecumenius *in Catena ad cap.* 12.

Maria (1), quando inita acri concertatione in Academia Ulyssiponensi cum alio eruditissimo Socio (2) ad nauseam usque illa, quae evidentissimis rationibus impugnavimus jam atque refellimus, inculcavit tanquam indubia & exploratis sacrae disciplinae principiis inhaerere contendit, ut contra Jacobi in Hispania praedicationem argumentum quoddam produceret a Divo Hieronymo petitum, quem sententiae nostrae luculenter adstipulari novimus, illudque ceu novum, & inexpugnabile magna cum arrogantia venditaret. Sed quam insigniter fuerit homo allucinatus, ex sola Hieronymiani textus lectione poterit quisque dignoscere. Sanctus enim Doctor cum de Uria in Divini Verbi annuntiatione interempto, & de Jeremia Propheta ad praedicationem prosequendam reservato egisset, haec illico subjecit (3): *Quod quidem, & in Apostolorum actibus legimus Jacobum Apostolum statim Herodis pertulisse sententiam, & martyrio coronatum. Beatum autem Petrum, & ceteros Apostolos doctrinae Domini reservatos*. En apertam (si Superis placet) Hieronymi sententiam, qua Academicus noster Hispanos ag-

(1) Michael a S.Maria Augustinianus *de primo potius unico Evangelii praedicatore in Portugalia, totaque Hispania inter scripta Academiae Regiae Portugal. ad* 1722. *& in posteriori Dissertatione inscripta: Voce da verdade*.

(2) Hieronymus Contador de Argote Clericus Regularis *Dissert. Lusitanice scripta pro S.Jacobi in Hispaniam Adventu ex S.Hieron. mente in comment. Acad. Ulyssip. an.* 1712., cujus partes postea est tutatus alius Lusitanus Emmanuel Cajetanus de Souza in iisdem *comment. an.*1725. *ad d.* 19. *Jul.* qui promittit se daturum Syllogen 500. & amplius Auctorum, qui itineris Hispanici S. Jacobi meminerint.

(3) Hieronymus *in Jeremiam cap.* 26. *in fine*.

aggreditur, eosque omnino causa cadere somniavit. Quid dicam de captionibus, quibus utitur, ut in rem suam hoc testimonium contorqueat? De Jacobo nostro ita disserit, ac si nunquam Doctrinam Domini praedicasset. Illud Hieronymi adverbium *statim* simpliciter uti sonat, non comparate ad reliquos Apostolos, qui diutius vixerunt, perperam accipit. Traditionem Apollonii ad Caelum extollit, ut sortitiones, dispersionesque Apostolorum post Jacobi interitum invita Minerva protraheret. Hieronymum, qui solum scripsit *ceteros Apostolos doctrinae Domini fuisse reservatos* ita intelligit, quasi dixisset fuisse reservatos, ut *Gentibus praedicarent*. Tot porro falsa pro certis poneret ille oportebat, ut in Doctore-Maximo clare patere asseveraret, quod in eo nec lyncei oculi valent perspicere, & argumentum suum nec herculeis viribus profligari posse jactitaret. Sed de his plusquam satis.

XXIV. Ad aliud igitur nunc accedimus argumentum, quo adversae causae Patroni valde confidunt, inque eas conantur nos redigere angustias, ut si Jacobum primum Christianae Fidei praeconem in Hispania nobis cum pertinacia arrogamus, Paulum ibidem nequaquam verbum Dei praedicasse, vel inviti concedere cogamur. Quod ut conficiant, ipsius Pauli utuntur testimonio, qui ad Romanos ita scripsit (1): *Sic autem praedicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum aedificarem*. Quibus ex verbis inferunt, aut Paulum

(1) Epist. ad Romanos *cap.* 15. *v.* 20.

lum in Hiſpania minime praedicaſſe, quia Jacobus ibidem Chriſtum nominarat; aut ſi Paulus in ea Regione praedicavit, recte concludere ſibi videntur, Jacobum eodem Evangelium non intuliſſe.

XXV. Nae fatemur argumentationem iſtam ceteris omnibus, quae a contraria parte congeruntur, validiorem, implicatioremque videri; attamen illius vi non eo nos compelli arbitramur, ut utramque Jacobi, & Pauli praedicationem Hiſpanis aſſerere diffidamus. Quid enim obſtat, quidve repugnat, quominus dicamus primo Jacobum, poſtea Paulum verbum Fidei in Hiſpaniam intuliſſe? An tantum infortunii habet Gens Hiſpana, ut ipſi gemina haec praedicatio auferatur, quam aliis Nationibus & ſacrae literae & receptiores hiſtoriae ultro largiuntur? Praedicavit quoque Paulus Damaſci, Antiochiae, Epheſi, atque in aliis Orientis Regionibus, in quibus aut alios Apoſtolos, aut Domini Diſcipulos Evangelii doctrinam antea diſſeminaſſe nullus eſt, qui in dubium merito queat revocare. Sola ergo erit Hiſpania, cui duorum Apoſtolorum praedicatio tanquam Scripturae adverſa, vel abjudicetur, vel in diſputationem conjiciatur? His porro exemplis tota propoſiti argumenti ratio ſatis profligata dici poſſet; cum aequitatis regula non patiatur, ut, ubi viget eadem ratio, non idem jus nobis reddatur; nec ut communem cum tot Eccleſiis cauſam nos tantum defendere conſtringamur: Sed quia video haud defuturos, qui hujuſmodi reſponſionis genus aſpernabuntur, quod ex ea quid abſurdi ſequeretur, Apoſtolum

lum

lum nempe aliud verbis , aliud factis docuisse, & ea animi levitate secum pugnasse , ut apud ipsum suo sanctissimo ministerio inservientem aeque valuerit *Est*, *&* *Non*, quam inconstantiae notam apud Corinthios longe detestatur (1); idcirco Paulum praedicantem, ubi per alios verae Fidei lumen jam assulserat, cum semetipso scribente: *Sic autem praedicavi Evangelium hoc*, *non ubi nominatus est Christus*, conciliare aggredimur. Quod ut plene assequamur, non alio indigemus luminis auxilio, quam eo, quod idem Apostolus nobis praetulit significantissima illa Vocula *Sic*. Consulto enim in hac Epistola ad Romanos data non simpliciter tradidit, se ibi tantum Evangelium annuntiasse, ubi Christi nomen nondum erat auditum; sed cum adjuncto *Sic*, ut ex hac particula unusquisque intelligeret, ipsum non tam eo respexisse, ut loca, quae divinae doctrinae radiis repleverat, Romanis designaret, quam ut praedicationis suae modum, ordinemque demonstraret. Et quidem si illa, quae Paulus in aliis Epistolis, praecipue ad Corinthios, antea scriptis (2) docuerat, cum iis conferantur, quibus Romanos deinde instruxit, duae apparent perquam dissitae praedicandi Evangelii rationes. Prima quidem erat eorum, qui magnis laboribus ad Infidelium regiones primi commeabant, eosque Christi adventum, nomen-

(1) Epist. II. *ad Corint. cap.* 1. *v.* 17. *&* *seqq.*

(2) Epistolam ad Corinthios prius fuisse a Paulo scriptam, quam illam ad Romanos docent. Cl. Estius *in argumento Epistolae ad Corinthios*. Et Vitrè *in prooemio Epistolarum Pauli Apostoli*.

menque prorsus ignorantes divinae Fidei luce illustrabant, ut nimirum illud adimpleretur, quod de Apostolis Isaias praecinuit (1): *Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt, & qui non audierunt, intelligent.* Altera vero pertinebat ad illos, qui gentes jam Christo subjugatas diligentius excolebant, & incoeptum ab aliis Evangelicae praedicationis opus ulterius prosequebantur, ut jacta doctrinae semina eorum curâ, & culturâ uberiorem fructum possent afferre. Utraque haec Christianae fidei promulgandae ratio multis nominibus erat commendabilis; utramque Apostoli urgebant, sed non uno, & eodem titulo, nec uno, & eodem modo. Illam explendam suscipiebant *qua Apostoli*, quippe quibus vi ministerii divinitus suscepti datum fuerat Ecclesias plantare, procreare, & primum fundamentum ponere: huic autem vacabant veluti *Paedagogi*, & *Adjutores*, quorum erat in caelesti gratia confirmare, consolarique eos, qui se Christo jam dediderant, & Evangelium omnes in partes explanare. Illi tamquam proprio muneri praecipuam operam Apostoli navabant: hanc vero non nisi in transitu, & data occasione arripiebant. Duplicem hunc Evangelicae legis divulgandae modum, qui Corinthiis prius satis fuerat indicatus, videtur Paulus hic quoque prae se tulisse, cum Romanis praedicationis suae formam voluit patefacere. Quam quidem si Aud. Opt. paulo operosius perspiciatis, utique intelligetis, nec Apostoli facta cum dictis discrepare, nec objecti testimonii verba esse

(1) Isaiae 51. v. 15.

aliter accipienda, quam si dixisset: Sic ego *tanquam Apostolus gentium* (1) praecipuo studio ab Urbe Jerosolymorum per circuitum usque ad Illyricum Evangelio ea loca replevi (2), quae nondum Christum audierant, ut hac via ipse tanquam Pater filios mihi gignerem (3), ut diligens Agricola plantarem (4), & sapiens Architectus primum ponerem fundamentum (5). Ceterum exinde Paulus non negavit, quin tacite innuit, se veluti Paedagogum etiam ibi non raro Evangelium confirmasse, pleniusque explicasse, ubi Christi gratia jam per alios emicuerat, ut exempla, quae supra attulimus, apertissime demonstrant. Nec quidquam obstat, quod ea dumtaxat loca Doctor gentium memoraverit, quae caelestis doctrinae facibus non adhuc erant perlustrata, & verba sua ad illa tantum significanda contraxerit. Etenim id sapienter fecisse cognoscitur, ut scilicet longius a Pseudo-Apostolis distaret, eorumque fraudem, & audaciam vehementius perstringeret, atque reprimeret, qui in loca jam Christo dedita se sponte intrudebant, ut in alienis laboribus gloriantes ultra operis, industriaeque mensuram Apostoli (6) viderentur, & super alieno fundamento aedi-

(1) In d. c. 15. Epistolae ad Romanos v. *16*. . „ Ut sim Minister „ Christi in gentibus: Santificans Evangelium Dei.

(2) Ibidem v.*19*. „ ita ut ab Jerusalem usque ad Illyricum repleverim „ Evangelium Christi.

(3) Ad Corint. I. c.4. v. 15. „ per Evangelium ego vos genui.

(4) Ibidem cap. 3. v.*6*.. „ Ego plantavi.

(5) Ibidem v. *6*. „ Ut sapiens Architectus fundamentum posui.

(*6*) *In Epist. II. ad Corinth. c.* 10. *v.* 15. Pseudo-Apostolos ita arguit Paulus. „ Non in immensum gloriantes in alienis laboribus. *Et in v.*

aedificantes non Paedagogorum, ſed Patrum, ac Fundatorum Eccleſiarum jura ſibi uſurparent; quamvis & ipſe non ideo neglexerit aliquando tanquam rigator, confirmator, & conſolator divinam legem iterum Fidelium animis inculcare. Tot porro cautionibus utebatur Apoſtolus, & tot limitibus circumvallabat ſuum miniſterium alioquin indefinitum, & ut animi ſui modeſtiam, moderationemque commendaret, unaque Pſeudo-Apoſtolorum jactationem notaret, & ut hoc pacto diſtincta, atque intemerata cuique ſua jura in Eccleſias manerent, nec non concordiae mutuaeque ſacrorum Praeconum conſentioni proſpiceretur. Ex quibus tandem illud dumtaxat diſcriminis ſupereſt, quod Apoſtolus ad loca, in quibus Chriſtus nondum erat nominatus, frequentius velociuſque accurrerit; ad ea vero, quae aliorum Evangelica praedicatione jam fuerant occupata, rarius tardiuſque, prout commodum erat, commigrarit. Et revera Paulum hanc locorum differentiam (quae noſtris rationibus mirum eſt quantum faveat) in nova lege annuntianda diligenter ſervaſſe praefata ejus epiſtola manifeſtiſſime oſtendit. Propoſuerat enim ſibi Doctor gentium, optaverat, atque non ſemel promiſerat ſe ad Hiſpanos perrecturum, & in tranſitu Romanos etiam inviſurum (1),

v. 16. „ Non in aliena regula in iis quae praeparata ſunt gloriari : *Ubi ita ad propoſitum Cl. Eſtius* „ Ut non aliena regula, videlicet in „ iis, quae jam ab aliis occupata ſunt, & per Evangelii culturam „ praeparata, gloriemur; quemadmodum Pſeudo-Apoſtoli faciunt, glorian- „ tes de alienis.

(2) D. c. 15. v. 24. „ cum in Hiſpaniam proficiſci coepero. Et v. 28. „ Per vos proficiſcar in Hiſpaniam.

& tamen huic suo desiderio non nisi longo post tempore (1) potuit opere satisfacere, ut Romam scilicet pergens ad Hispanias perveniret. Hanc Hispanorum cum Romanis exaequationem, quae nobis maximae gloriae est, lubentissime longius urgerem, nisi mihi esset properandum ad id, quod proposito nostro propius accedit, ad causam nimirum investigandam, qua Apostolus animum suum voti compotem efficere, & promissa solvere tamdiu procrastinavit. Et quidem si eandem Epistolam attente consideremus, illam non aliam fuisse deprehendimus, nisi quod tum majus erat opus, ut per Achajae, & Macedoniae Regiones ipse verbum Dei circumferret, quam ut in Hispaniam, aut Romam proficisceretur. Unde autem Paulus existimaverit, Hispanias, & Romam praedicationis suae lumine minus indigere, quam ea Orientis loca, quae eo usque peragrarat, licet diserte non exprimat, vos ipsi tamen, Au. Opt., mihi videmini statim dicturi ita illum judicasse, quod jam noverat, Petrum in Urbe, Jacobum in Hispania Fidei elementa, Mysteriorumque doctrinam tradidisse, & Christi religionem plantasse, adeoque sibi non aliud illic superesse, nisi rigare, & superaedificare, quod porro tanti non erat, ut Gentes, quas ipse *uti Apostolus* Magistro suo acquisierat, relinqueret, priusquam in plenissima Fidei notitia eas solidaret. Ubi vero in illis nullum amplius locum vacuum habuit Evangelio, adeoque diu-

(1) Paulus anno Christi 62. Romam venit, ibique exacto biennio ad Hispaniam proficiscitur, ut est communis opinio.

diuturnioris morae vinculo fuit expeditus, confestim cupiditatem suam, quam a multis annis conceperat, explevit (1). Quae igitur omnia cum ita sint, non modo universa objectorum momenta prorsus evanescunt, sed novum quoque emergit argumentum pro Jacobea praedicatione Hispaniae Populis vindicanda: adeo ut non possimus hic non mirari Guilielmum (2) Estium ceteroquin Theologum doctissimum, qui duas illas diversas annuntiandi Evangelii rationes ex ipsis Paulinis Epistolis plane didicerat, vitioso Dialectices usu Doctoris gentium in Hispanias profectionem ex eo arguere, quod nullus antea ibi Fidei fundamentum posuerat.

XXVI. Leviorem hactenus confecimus pugnam. Nunc vero ad acrius, majusque vocamur certamen, in quo vehementiori virium contentione causae nostrae defensionem suscipiamus oportet. Intolerandus quidem est Hispanis illorum conatus, qui Jacobeae praedicationis laudem eis conniuntur eripere; at superesset nihilominus Nostratibus non exiguum solatium, quo possent suum animum erigere videntes,

bo-

(1) Ut adducta Paulinae Epistolae expositio firmius constet, lubet hic legentium oculis illius ponderosa verba subjicere: 20. „ *Sic autem* „ *praedicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super* „ *alienum fundamentum aedificarem: sed sicut scriptum est*. 21. *Quibus* „ *non est annuntiatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelli-* „ *gent*. 22. *Propter quod & impediebar plurimum venire ad vos, & pro-* „ *hibitus sum usque adhuc*. 23. *Nunc vero ulterius locum non habens* „ *in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex mul-* „ *tis jam praecedentibus annis*. 24. *Cum in Hispaniam proficisci coe-* „ *pero, spero quod praeteriens videam vos, & a vobis deducar illuc*.

(2) Guilielmus Estius *in commentario cit. cap. XV. v. 20. Epist. ad Rom.*

bonam istorum Adversariorum partem Evangelicam Apostoli gentium praedicationem ipsis ultro concedere. Ægrius igitur eorum, etsi numero paucorum, ferenda est confidentia, qui, ut Jacobum singulari sorte nobis divinitus datum possint adimere, non dubitant arma etiam ejus generis adhibere, quibus si possent nos cominus ferire, uno veluti impetu in utraque Jacobi, & Pauli gloria concideremus. Hujusmodi plane est celebris Epistola Innocentii I. *ad Decentium Episcopum Eugubinum* data, in qua ista leguntur (1): *praesertim cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulasque interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos Venerabilis Petrus, aut ejus Successores constituerunt Sacerdotes, aut legant, si in iis Provinciis alius Apostolorum invenitur, aut legitur docuisse: quod si non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet eos sequi hoc, quod Romana Ecclesia custodit, a qua eos principium accepisse non dubium est*. Nihil sane apertius in medium produci posse videtur, quod Hispanorum causae magis adversetur. Si enim soli missi a Petro Ecclesias in occiduis Provinciis constituerunt; si nullus alius Apostolorum in Hispania Christianam docuit religionem, quo pacto, aut Jacobi, aut Pauli praedicatio in ea propugnari poterit? Utriusque igitur Apostoli praeconia erunt potius Hispanicae genti abjudicanda.

XXVII. Ut verum fatear, objecta, quae ex producto testimonio eruuntur, mihi ab initio omnibus

(1) Epist. Innocentii I. *ad Decentium Eugubinum*.

bus difficiliora esse existimabam . Sed , re serius perpensa, vidi illa in eorum numero esse ponenda, quae *nimis probant* , adeoque , aut parum , aut nihil inde concludi posse docent, qui Dialecticam artem callent. Huc etiam accedit , quod hujusmodi ratiocinatio non magis Jacobi, quam Pauli in Hispania praedicationem penitus evertere videatur; adeoque ad eam dissolvendam plerosque & quidem doctiores ex nostris Adversariis, qui Apostolum gentium Hispanos convenisse tuentur, veluti in causa communi socios habeamus. Quare ut ab hac Pontificia auctoritate nos expediremus , liceret nobis ea, quae ipsi excogitarunt, ut Innocentium minime fuisse adversatum Pauli praedicationi in plerisque Occidentis Regionibus commonstrarent, in rem nostram convertere, atque ita una cum Natale Alexandro respondere, quod, cum haec res in facto versetur, nec a Pontifice ex professo , sed obiter tractetur , ab ejus testimonio impune recedere possimus innixi Theologorum sententiae, quam ita ex more suo exornat eruditissimus noster Melchior Canus (1): *In maximo illi errore versantur, qui rerum gestarum memorias tamquam Ecclesiae oracula accipiunt , si eas in epistolis , ac decretis suis Pontifices aliquando usurparint . Non est idem , mihi crede , historiae approbatio. , & usurpatio . Itaque imprudentum hominum erit , historias quasvis obiter etiam , & ad praesentem causam a Pontifice adductas non aliter amplecti , atque eas, quae sunt Ecclesiae certo judicio comprobatae .*

XXVIII.

(1) Canus *de locis Theolog. lib.* 11. *cap.* 5.

XXVIII. Sed ne hoc responsionis genere utentes ad incitas redacti credamur, duo haec citius reponenda putamus. I. Innocentii verba acervatim, ac ruditer, ut Arguentes arbitrantur, accipi non posse; quo sane uno inde confectum argumentum prorsus dimovetur. II. Innocentio in productis verbis aliam adfuisse mentem, quae nobis minime refragatur. Et quod ad primum attinet, eritne, qui statuat Innocentium vel Pauli praedicationem Melitensibus, Siculis, Calabris ademisse, ipsamet repugnante S. historiae auctoritate (1)? vel Pontificem Ecclesiasticas Historias adeo ignorasse, ut uno veluti ictu religiosas, receptasque traditiones complurium Ecclesiarum Occidentalium, aliquem ex Apostolis proprium Fundatorem Patremque tenentium, funditus everterit? Merito igitur aliam sententiam, quam quae verba praeseferunt, & quae cum receptissimis Historiis non pugnet, Innocentio tribuendam esse dicemus; quam facile assequetur, quisquis ejusdem epistolae argumentum serio perpenderit. Conquestus enim erat cum Innocentio Episcopus Eugubinus de ingenti, dolendaque varietate, qua *in ordinibus, & consecrationibus* Occidentales Ecclesiae laborabant; quam homines rudes aspicientes sibi forsan poterant persuadere, *Ecclesias inter se dissentire, aut ab Apostolicis Viris contrarietatem inductam*. Respondens autem Romanae Sedis Antistes, ut hanc rituum diversitatem, quae scandali atque discordiae occasionem dare poterat, de medio tolleret, universis Ecclesiis unum voluit affi-

(1) S. Luca *in Act. Apost. cap.* 28. *v.* 1. 12., & 13.

assignare *principium instructionis*, vel *doctrinae*, ut illi inhaerentes omnes sibi mutuo conjungerentur, nihilque inter se discreparent. Hunc in finem omnium Ecclesiarum, praesertim Occidentis, Ecclesiam Romanam Principem, Magistramque exhibet, propterea que dicit oportere illas sequi, *quod Ecclesia Romana custodit, a qua eas principium accepisse non dubium est*. Haec utique fuit Innocentii summa ratiocinatio, in qua nihil est, quod nobis incommodet; cum Innocentius aperte loquatur de *principio auctoritatis* derivatae ab illa dignitate Petri, fundamenti & Capitis omnium Ecclesiarum divino oraculo constituti, a quo proinde cunctas Ecclesias, & omnem Hierarchicum Ordinem per universum Orbem initium sumpsisse a Cypriano docemur (1). Ea propter quidquid Apostoli in Ecclesiis fundandis, & Apostolici Viri in eisdem instruendis allaborarunt, rectissime Petro ejusque sedi refertur acceptum. Nam nihil usitatius nihil frequentius, quam ut membrorum facta Capiti attribuantur, & ut res quaelibet ab origine sua derivetur, ac proinde Ecclesiae omnes ab illa prima Cathedra, in qua Christus Petrum collocavit, ad Unitatem demonstrandam profectae censeantur, sicuti eodem sensu tradidit Tertullianus (2). Nequaquam vero cogitavit Pontifex illis verbis *principium actionis* designare, ut illud soli Petro adscri-

 be-

(1) S. Cyprianus in tract. *de Unitate Ecclesiae* relatus a Gratiano *in cap. loquitur Dominus* 24. *q.* 1.

(2) Tertullianus *de præscript. adversus haereticos cap.* 20. „ Omne genus ad originem suam censeatur necesse est: itaque tot tantaeque Ecclesiae una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes.

beret, cum esset ei plane compertum, Apostolorum Principem illas Occiduas Provincias, quas recensset, non peragrasse, nec in eis verbum Dei disseminasse. Longeque minus ille modo memoratum principium Ecclesiarum Occidentalium solis Apostolicis Viris a Petro missis concessisse intelligi debet, quod nullum Apostolorum in Occidente eas *instituisse*, aut Fidem *docuisse* in eadem Epistola affirmet. Quandoquidem Paulum in Occidentis Regiones Evangelium intulisse non nisi turpiter Pontifex aut ignorare, aut negare poterat; quod porro satis est, ut ejus verba ita late, ut scripta sunt, minime accipiamus; eo vel maxime, quod *instituere*, *& docere* (quibus vocibus Romanus Antistes utitur) ex Latinorum usu aliquando opus informare, & delineare, aliquando perficere, & numeris omnibus absolvere significant. Ex quo duae diversae instituendarum Ecclesiarum rationes proficiscuntur; quas licet mox indicavimus, praestat hic iterum vel leviter attingere. Una est, quae prima tantum Evangelii praedicatione, & primo Fidei fundamento posito absolvitur. Altera, quae mysteriorum disciplinam pandit, sacros praescribit ritus, & totius rei sacrae ordinat seriem. Illi operam dabant Apostoli, qui studio propagandi Evangelii abrepti veloci cursu Provincias peragrabant. Huic frequentius Viri Apostolici, quos vel Apostoli, vel Petrus velut eorum Princeps, ut institutas jam ab ipsis Ecclesias perficerent, mittebant; quamvis & ipsi Apostoli *qua Paedagogi* eidem interdum vacaverint, ut supra monuimus. Sic porro Paulus, qui Ecclesiam Corinthiorum fundaverat, ejus plantationem sibi vindicat, irrigationem vero Apollo attribuit

buit (1). Evangelii praedicationem ut praecipuum munus ſibi adſciſcit, Sacramentorum adminiſtrationem aliis relinquit (2). Corinthiorum Patrem propter primam novae legis promulgationem ſe nominat (3); alios autem eorum Paedagogos, & uberioris doctrinae Magiſtros agnoſcit (4). Ita pariter cum Cretae divinam legem annuntiaſſet, Titum diſcipulum ſuum in ea reliquit, qui totius Ordinis Eccleſiaſtici rationem diſponeret. Sic igitur & nos, cum Innocentius Viros Apoſtolicos a Petro miſſos Eccleſiarum Occidentalium Inſtitutores, & Doctores appellat, eum ſecundam, non primam *inſtitutionis* ſpeciem eis adſcripſiſſe tenemus, quod etiam ipſius Epiſtolae materia apertiſſime ſuadet. Siquidem non de prima Evangelii praedicatione, non de primis Religionis Chriſtianae elementis in ea pertractat; ſed de ritibus, & divinorum Officiorum ordine, quae ad Eccleſiae perfectionem pertinent, & Evangelium praenunciatum neceſſario arguunt. His itaque in rem noſtram ſtabilitis, concludere jam licet, potuiſſe utique Jacobum, & poſtea Paulum in Hiſpania Religionis fundamenta jacere, quibus deinceps alii ſuperaedificarent. Quod reapſe ita contigiſſe dubitari non poteſt. Quamvis enim a Jaco-

I 2 bo

(1) *Epiſt.* 1. *cap.* 3. *verſ.* 6. „ Ego plantavi, Apollo rigavit.

(2) Ibidem cap. 1. v. 17. „ Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed Evangelizare.

(3) *Ibidem cap.* 17. *v.* 15. „ Nam etſi decem millia Paedagogorum „ habeatis in Chriſto, ſed non multos Patres, nam in Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui.

(4) *Epiſt. ad Titum cap.* 1. *v.* 5. „ Hujus rei gratia reliqui Te „ Cretae, ut ea, quae deſunt, corrigas & conſtituas per Civitates Presbyteros; ſicut ego diſpoſui tibi.

bo, & Paulo Chriſti Fides in Hiſpaniam fuiſſet illata, tamen ut in tam vaſtis Regionibus, quas illi aut curſim, aut parvo cum fructu luſtraverant, Evangelii notitia latius propagaretur, ejuſque radices altius deſcenderent, Petrus Princeps Apoſtolorum ſeptem viros Torquatum ſcilicet, Teſiphonem, Secundum, Indalecium, Caecilium, Eſicium, & Euphonium Romae Epiſcopos conſecravit, eoſque ad Hiſpanicam gentem direxit. Idque ex perpetua traditione tenetur, & antiquiſſimis comprobatur monumentis. Sed ut alia miſſa faciamus, ne orationem nimis dilatemus, non poſſumus vero praeterire Epiſtolam Gregorii VII. ad Alphonſum, & Sanctium Hiſpaniae Reges ſcriptam (1), qua Pontifex poſt Evangelicam Apoſtoli in Hiſpaniis annuntiationem, ſeptem mox memoratos Antiſtites eodem miſſos fuiſſe ita aperte ſignificat: *Cum Beatus Apoſtolus Paulus Hiſpaniam ſe adiiſſe ſignificet, ac poſtea ſeptem Epiſcopos ab urbe Roma ad inſtruendos Hiſpaniae populos a Petro, & Paulo Apoſtolis directos fuiſſe, qui deſtructâ idololatriâ Chriſtianitatem fundaverunt, religionem plantaverunt, ordinem, & officium in divinis cultibus agendis oſtenderunt, & ſanguine ſuo Eccleſias dedicavere, veſtra diligentia non ignoret; quantam concordiam cum Romana urbe Hiſpania in religione, & ordine divini officii habuiſſet, ſatis patet*: quibus verbis perſpicue confirmatur modo adhibita diſtinctio primae, & ſecundae *inſtitutionis* Eccleſiarum, unaque Innocentiano teſtimonio nova & magna lux affunditur. Nihil hic moror, quod hinc ſolent

Ad-

(1) Hanc Epiſtolam tranſcripſit Florezius *tom. 3. in append. n. V.*

Adverſarii nobis eripere Jacobeam praedicationem ex eo, quod Gregorius unius Pauli praedicantis in Hiſpania meminerit; de Jacobo autem ne unum verbum quidem fecerit. Etenim ſilentium iſtud in rebus liturgicis, de quibus tunc agebatur, quoad divini verbi promulgationem nihil officit. Satis enim erat Gregorio, & Innocentio illos tantum indicare, per quos Româ in Hiſpaniam ſacri Officii ordo fuerat derivatus, omiſſis iis, quibus initium Religionis Chriſtianae illic receptae adſcribi debeat. Ad haec ſicuti ſilentium Innocentii Gregorium non prohibuit, quin crederet Paulum Hiſpanis novam legem tradidiſſe; ita quoque ſilentium Gregorii non debet nobis impedimento eſſe, quominus defendamus pari modo Jacobum per Hiſpanias Evangelium publicaſſe. Nec porro alia apparet via, qua duos hoſce SS. Pontifices eandem argumenti ſpeciem verſantes in concordiam, uti fieri debet, commode redigamus.

XXIX. Nec vero ſibi quiſquam perſuadeat traditam a nobis duplicis *inſtitutionis* Eccleſiarum differentiam, qua Innocentii mentem (ni fallimur) acu tetigimus & declaravimus, Gregorii teſtimonio non aeque quadrare poſſe, quippe qui expoſitam diſtinctionem penitus dimovere, & deſtruere videtur, cum ſeptem Apoſtolicos Viros, quos in Hiſpaniam directos affirmat verbis antea productis, tanta opera, & induſtria ad Hiſpanos Chriſto lucrandos allaboraſſe tradit, ut non dubitet ſcribere eos *deſtructa Idololatria Chriſtianitatem fundaſſe, & Religionem plantaſſe.* Etenim haec verba adeo late, & indefinite accipi

non

non possunt, ut denotent septem illos Praesules omnium primos in Hispanias Religionem invexisse, nec ea ita intelligi permittit ipsemet Gregorius, utpote qui in eadem Epistola Paulum ante eos Evangelii lumen in Hispaniam importasse his verbis ostendit, quibus nihil significantius esse potest: *Cum Beatus Apostolus Paulus Hispaniam se adiisse significet, ac postea septem Episcopos &c.* Nec eo impudentiae quemquam progredi arbitror, ut Pontificem brevissimo orationis intervallo vel quod dixerat emendasse, vel sibimet repugnasse credat. Sed esto haec non ita se haberent, omnis tamen difficultatis pondus ex eo penitus evertitur, quod cum Gregorio, sicut etiam Innocentio, idem esset propositum, de sacris scilicet Ritibus, divinorum Officiorum celebratione, aliisque Ecclesiasticae disciplinae Capitibus pertractare, & Hispaniarum Ecclesias ad Romanam conformare; idcirco ejusdem Gregorii verba non ad primam, sed ad secundam Hispaniensis Ecclesiae *institutionem* erunt referenda eodem modo, quo intelleximus priorem Innocentii sententiam. Quod si quis nihilominus Gregorii dicta obvia eorum significatione traductus, primam Ecclesiarum *institutionem* exprimere contendat, negotium cum ipso facile transigemus, dummodo illa non absolute, & simpliciter, sed comparate suscipiat, quatenus nimirum Jacobus, & Paulus nimis festinanter per Hispanias cursitantes prima tantum fidei rudimenta paucisque in locis dispergere potuerunt. Apostolici autem Praesules diuturniore, ac profusiore Evangelicae praedicationis luce & Ulteriorem, & Citeriorem Hispaniam undique illustrarunt, ut ita

pri-

primorum Fundatorum Ecclesiae Hispaniensis Jacobo, & Paulo integro servato honore, & iidem SS. septem Viri quodammodo dici possint nostrarum Ecclesiarum Institutores, veluti si quis illum nominet Artificem, eique opus adscribat, qui illud ab alio delineatum absolvit. Et hoc sane sensu Augustinum Angliae, Remigium Galliae, Bonifacium Germaniae Apostolos vulgo vocitari in harum Nationum historiis frequenter legimus, quamvis in eisdem Regionibus Christianam Religionem alii antea plantaverant, quia videlicet parvis initiis ipsi grande adjecerunt incrementum.

XXX. Heic Aud. Opt. manum de tabula tollerem, nisi pertimescerem, ne calliditatis nomine a vobis accuser, quasi dolo malo argumentum dissimulem, quod Card. Baronio Annalium Parenti egregie imposuit, quodque uti omnium potentissimum quotquot post eum nostrarum rerum invidi scripsere, Triumphantium more ad sidera extulerunt. At, verum fateor, nunquam illud praeterire mihi animus fuit, sed potius ad extremum locum rejicere, ut vel hoc uno ostenderem, hodie apud aequiores Criticos, detecta ejus infirmitate, adeo susque deque haberi, ut jam pudeat Viros ingenio cetera liberali illius disquisitionem longius persequi. Objiciebant enim indicati Scriptores, Rodericum Archiepiscopum Toletanum de Primatu suae Sedis in Concilio Lateranensi IV. cum Praesule Compostellano concertasse. Cumque Compostellanus, ut suae Ecclesiae honorem, & a Toletano Primatu libertatem vindicaret, praedicationem Jacobi, cujus corpus in ea requiescit, pluribus efferret, eundem

Ro-

Rodericum ei prompte in hunc modum reposuisse (1): *Si inducat etiam (Archiepiscopus Compostellanus) primam Divini Verbi promulgationem, & plurimorum conversionem* (praedicatione scilicet Jacobi) *ad fidem Christi in Hispania; qui Divinam paginam noverunt, testimonium perhibeant. Ego tantum legi, datam ei fuisse potestatem praedicandi in Hispania, sed interim cum per Judaeam, & Samariam Divinam legem seminaret, sub Herode Jerosolymis truncato capite exhalavit animam, & Domino reddidit. Quomodo ergo ibi praedicavit, quo nondum ingressus est? Aut sine praedicatione, quos, obsecro, convertit ad Dominum? Memini bene in primis me annis accepisse a quibusdam Sanctis Monialibus, & religiosis Viduis paucos admodum ejus praedicatione ad Fidem conversos esse, in qua cum tam exiguos progressus effici videret, in patriam reversus, fato functus est*. Quibus verbis quo firmior fides, & auctoritas accederet, contrariae causae Assertores exi-

(1) Edidit primus hoc apocryphum documentum Garsias de Loaysa post decretum Gundemari anni *610.*, a quo eodem ordine illud in suas Conciliorum Hispaniae collectiones transtulerunt Cardinalis de Aguirre, & Joseph Cathalanus. Quoniam vero hujus Scriptoris sacra eruditione & doctrina conspicui incidit mentio, lubet obiter saltem hic adnotare, illum *tom.* 1. *Concil. Hisp. fol.* 165. & 168. ad calcem collectarum dissertationum Cardinalis de Aguirre, & Ambrosii Gardebosc, sententias de Jacobea in Hispaniis praedicatione hinc inde a Florezio, & Mamachio (quem suum nominat, laudatque Amicum) productas addidisse. Sed cum ipsi magis amica sit veritas, ingenuusque animi candor, ita utriusque Auctoris elucubrationes proposuit, itaque mentis suae sensa licet meticulosus & subobscurus aperuit, ut in nostram causam inclinatione voluntatis eum propendisse merito credamus, nobisque gratulemur, quando sic suum absolvit sermonem: „ *Atque haec est sententia* „ (nempe Hispanorum), *quam tenet Romana Ecclesia omnium Magistra,* „ *quippe quae in Breviario Romano ad diem* 25. *Julii post rigidissimum* „ *examen hanc clausulam retineri jussit: Mox in Hispaniam profectus &c.*

ximiam Roderici doctrinam, & accuratissimam in Historia Hispaniae conscribenda diligentiam praedicabant, unaque extollebant sacri Consessus dignitatem, in quo nihil nisi certum exploratumque prolatum fuisse credendum est. Atque hinc deducebant, non debere Hispanos in id ulterius incumbere, ut aliis persuadeant Nationibus tanquam veram traditionem eam, quam inter aniles fabulas re[illegible] fuit Rodericus Hispanae litteraturae ornamentum.

XXXI. Nihil sane est, quod miremur, si cum primum haec in Orbem litterarium prodiit historia fucato antiquitatis pallio exornata, nonnulli extiterint illius novitate perculsi, qui a recepta discederent Traditione. Quapropter diuturna ejus possessio nedum turbata, sed etiam interrupta eo usque tum apparuit, ut Jacobea in Hispaniis praedicatio non amplius bona fide sustineri posse videretur. At ubi (quod paulo post evenit) veritati exquirendae locus datus fuit, & totam illam narrationem, crimine falsi detecto, esse puram putamque fabellam recenter confictam acutae naris homines ostenderunt; statim possessionis nostrae bonum jus Sanctiores justitiae Vindices Hispanicae genti denuo restituendum esse Praetorio interdicto decreverunt. Et quidem adeo decantata producti testimonii antiquitas uno seculo XVI. circumscribitur, quo nimirum Cl. Garzias Loaysa tunc Canonicus, & non multo post Archiepiscopus Toletanus Concilia Hispaniae simul collecta editurus Tabularium suae Ecclesiae evolvit, casuque incidit in anonymum, informeque Manuscriptum proposita altercatione consarcinatum. Sed quia nihil crebrius usuvenire solet,

quam ut Viri etiam diligentiores a praejudicata opinione transferri agantur, & si quid inveniant, quod suae mentis sensa confirmare videtur, illud veluti exultantes, nullo praevio examine, e vestigio amplectantur. Adeo Loaysa, utcumque sollertissimus, Toletani Primatus amplificandi ardore praereptus in eum prolapsus fuit errorem, ut novum illius dignitatis fulcimentum repertae scripturae inesse ratus improvido consilio, & primo impetu collectioni Hispanorum Conciliorum eandem inserere minime dubitarit. Sed statim ac (quod hominibus acri judicio praeditis solet plerumque accidere) libero animo rem attentius perpendit, suboluisse sibi, quam esset hujusmodi Scripti sublesta fides, satis postmodum significavit, cum in ora libri adnotavit, se ab illo recedere in ea parte, qua Jacobeus in Hispaniam accessus impugnatur. Oculis non adeo aequis, qui in Garzia nostro emicuerunt, historiam hanc conspexerunt Exteri non pauci Scriptores, qui malo in res nostras animi affectu perducti illam non modo contemptui non habuerunt, sed quasi Ovantes susceperunt, laudarunt, ejusque vi Jacobi Apostoli gloriam vel ab Hispanis penitus avulsam, vel saltem in perpetuum obtenebratam esse crediderunt. Verum non defuerunt nobis egregii Propugnatores, qui istorum hominum invidorum licentiam cohibuerint, & narrationem illam omnino falsam commentitiamque esse plenissime demonstrarint, cum multa in ea ἀπoδόκιμα, multa ἀδύνατα detexerint, quae si vellem copiose persequi, justum implerem volumen; sed, ut brevis sim, aliqua tantum paucis perstringam. Quid proinde commemorem, quod concertatio illa de Ecclesiastico Primatu

tu in gestis illius magni Concilii desideratur, cum alioquin constet hujusmodi lites Conciliorum Actis inseri in more fuisse? Quid, quod Anonymus ille Scriptor refert Concilium Lateranense habitum anno [illegible]III. Pontificatus Innocentii III., quod non nisi anno XVIII fuit coactum? Quid, quod Rodericum eo tempore Episcopum Toletanum esse confingit, qui non nisi post duodecim annos ad Toletanam Cathedram ascendit? Quid, quod eundem Praesulem Romae versantem comminiscitur tunc temporis, quo, si fides nostris Historiis, ne pedem quidem ab Hispania extulit? Quid, quod errata cumulans affirmat Rodericum Romam profectum eo anno, quo capta fuit Corduba; cum universi consentiant, eam urbem a Mauris fuisse occupatam anno 1235., videlicet viginti annis post celebratam Synodum illam Lateranensem? Quid tandem, quod Rodericus eo usque alienus extitit a gloria Jacobeae Praedicationis genti suae deroganda, ut potius illam apertissime asseruerit in prologo cujusdam sui libri, qui in celebri Complutensi Bibliotheca amplissimi Collegii Ildephonsiani custoditur (1), cujus quidem testimonium in nostram causam integrum ducimus describere, & quod codex ille nondum publici juris effectus sit, & quod universa Apostolorum divisio, dispersusque scitissime in eo declaretur his verbis: *Apostolatus autem Circumcisionis Petro est assignatus: Gentium Paulo & Barnabae: Andreae Achaja: Jacobo Zebedaei Hispania:*

K 2 *Jo-*

(1) Hujusce non contemnendi documenti meminere Nicolaus Antonius *in veteri Biblioth. hisp. lib.* 8. *n.* 26. & Marchio Mondexarensis *in cit. tract. fol.* 38. & Florezius *cit. cap.* 3. §. *II. n.* 67.

Joanni Asia: Philippo Galliae: Bartbolomaeo India: Jacobo Alphaei Jerosolyma: Simoni & Judae Persia & Media: Matthaeo Judaea: Marcus vero, post translationem Petri ad Romanam Ecclesiam, ejus Discipulus in Italia Evangelium secundus scripsit: postea suscepit Apostolatum Aegypti. Lucas Pauli Discipulus Evangelio & Apostolicis Actibus gloriosus Bithyniae deputatur. In aliquibus etiam Regionibus festum divisionis Apostolorum solemniter celebratur 15. die Julii, quo Apostoli in Judaea secedentes ab invicem, euntes in mundum universum praedicaverunt Evangelium omni creaturae. Ceterum esto revera contigisset illa disceptatio in Concilio Lateranensi, tamen nonnisi injuriose ea mens Roderico viro doctissimo appingi posset, ut crediderit Evangelicam Jacobi praedicationem Nationi suae auferendam esse, quo Primatus jura vel Ecclesiae suae assereret, vel aliis abjudicaret. Quid? Num Tarraconensis, Bracharensis, Compostellanus Episcopi (cum quibus fingitur facta concertatio) poterant gloriari, laudatum Apostolum suas peculiares Ecclesias fundasse, eisque primum Antistitem praefecisse? Minime gentium. Haec sane, & alia similia in Hispania nostra fuerunt prorsus inaudita, atque incomperta ad hanc usque novissimam aetatem, qua male feriatorum hominum (quibus quaevis Natio non caret) obstetricia manu Chronicorum portentosi prodiere foetus, quos Cl. Hispani Scriptores, cum primis Nicolaus Antonius, in ipso pene ortu suffocarunt. Erat quidem & Roderico id dumtaxat exploratum, Jacobum, & Paulum Christi doctrina Hispaniensem

Ec-

Ecclesiam ita plantasse, ut illa in universum posset utique *Apostolica* (1) denominari. Sed certam aliquam Cathedram illos erexisse, inque ea Episcopum collocasse, qui aliis Hierarchico ordine antecelleret, Majores nostros latuit, & nos adhuc latet. Quo efficitur, ut posita Evangelica, quam innuimus, utriusque Apostoli annuntiatione, omnes postea constituti Praesules remanserint jure aequales, nec ullus majorem sibi prae ceteris potuerit praestantiam vindicare; cum nemini suffragaretur prima illa, & praecipua regula stabiliendi Ecclesiastici Primatus, quae ex *gloria Conditoris* repetitur: uti nova & singulari ratione me edocet (2) Patruus meus (quem honoris, & officii causa nomino). Hic ut Ecclesiae Toletanae certissimum adjudicaret Primatus honorem, ad alterius regulae se contulit praesidium, *ad ordinem* scilicet *praesumendum propagationis Evangelii*, cujus porro lumen e Toletana Sede per reliquas Hispaniarum regiones profectum diffusumque fuisse, tacite arguunt tot Concilia totius Nationis ibidem celebrata. Cui accessit quoque consensus universorum Hispaniae Episcoporum in Synodo XII. Toletana declaratus (3), & auctoritas Urbani II. Romani Pontificis longe ante tempora Roderici. Haec sane omnia evidentissime comprobant, Compostellani Archiepiscopi conatum utpote nullo jure suffultum Roderico non adeo reformidandum fuisse, ut Jacobeam praedicationem, quae ipsi nihil obsta-

re

(1) Tertullianus de praescript. adversus haeret. c. 20.

(2) Ildephonsus Clemens de Arostegui *in Concordia Pastorali part.* 1. *cap.* 11. *n.* 49. *& seqq.*

(3) Concil Toletan. XII. can. VI.

re poterat, deberet genti ſuae adimere, ut illius vim eluderet; quando nimirum vera fuiſſet ea diſputatio. Judicate nunc, Auditores, quod qualeque ſit Scriptum illud, quod recentioribus hiſce temporibus totius Reipublicae litterariae, & Eccleſiae Hiſpanienſis malo Omine in publicam lucem editum aut invidos aut eruditulos homines in tantum excitavit, ut longam pacificamque praedicationis Jacobeae poſſeſſionem, infeſta lite, perturbarint. Miratur Cardinalis de Aguirre doctiſſimum Loayſam ullam habuiſſe rationem rei geſtae, eouſque a nullo detectae, aut memoratae. At Loayſa poſſet reponere, non adeo ſevere cum primis monumentorum Inventoribus, & Collectoribus agendum eſſe, ſatiſque ei fuiſſe, ad marginem ejus ſcripturae, quam parum fidei ipſe illi haberet, prodere. Miratur etiam Laudatus Cardinalis, Baronium ſumma, qua pollebat, eruditione, & critice ad diſcernenda germana a ſpuriis, falſimonium ejuſdem ſcripti, quo de agitur, ſubodoratum non fuiſſe; imo ob illud potiſſimum priorem ſuam traditioni noſtrae convenientem ſententiam mutaſſe. Verum forte Baronius cauſſari poſſet ſpecioſam inſtrumenti novitatem, & Archivii Toletani, a quo fuerat extractum, dignitatem, & tandem a Clariſſimo Viro ſuſceptam Editionem, ut propterea mirandum non ſit, ipſum fuiſſe deceptum, ſicut poſtea profeſſus eſt teſtimonio ſatis fide digno (1). Longe autem majori mira-

(1) Didacus de Caſtillo, qui Clementi VIII. ſupremum Pontificatum tunc gerenti, & Cardinali Baronio Hiſpanæ traditionis fundamenta exhibuit, anno 1608. edidit de hoc argumento vere aureum libellum

raculo est , nonnullos exteros post tot falsitates in eo scripto compertas, tot Anacronismos , & absurda ab Hispanis Scriptoribus , patefacta , eandem fabulam iterum in scenam producere non erubuisse . Contra vero non possum non laudare Mamachium , qui Sodalem suum Natalem Alexandrum hac in parte deserere , & Florezio nostro objectae historiae νοθείαν asserenti adhaerere non dubitavit his verbis (1). *Cui equidem vehementer assentior , affirmoque spuriam esse controversiam illam , quam actitatam inter Toletanum , & Compostellanum Antistites ferunt , etsi a Loaysa publicata.*

XXX. Ecce jam ad metam accessimus, quam optaram . Et nisi mea me fallit opinio , id certe ipse videor assecutus , quod initio mihi proposueram , vobis scilicet ostendere , traditionem nostram , qua Jacobum in Hispania Dei verbum praedicasse tenemus , firmiorem esse , quam ut quibuslibet contrariis ictibus vel leviter concuti possit ; cum abunde nimis demonstraverim , non eam esse sola ignari vulgi opinione innixam , sed & sacri Codicis auctoritati consentaneam , Hieronymi , Isidori , aliorumque Patrum testimoniis munitam , eruditissimorum Virorum cum Domesticorum , tum Exterorum scriptis vallatam , ac tandem Romanae Sedis decretorio Judicio , ceu validissimo clypeo prote-

lum , in cujus praefatione testatur laudatum Cardinalem sibi auctorem fuisse , ut suum illud opus publicae faceret usurae „ porque no „ se enganen otros acerca de la Predicacion de Santiago en Espana ; „ *idest* ; ne alii decipiantur in articulo Praedicationis Divi Jacobi in „ Hispania . Refert Florezius *d. cap.* 3. *n.* 53.

(1) Mamachius *cit. cap.* 23. *in notis n.* 3.

tectam, cui & Vos omnes calculum vestrum lubentissime adjecturos spero. In quo quidem exemplum sequemini Viri doctissimi, quem Reipublicae litterariae commodo, & ornamento natum laudat haec nostra aetas, laudabitque futura, Prosperi scilicet Lambertini, qui mox Benedicti XIV. nomine summa cum potestate, summaque omnium vel Heterodoxorum admiratione Catholicam rexit gubernavitque Ecclesiam. Is porro cum in Congregatione Sacrorum Rituum de concedendo Ecclesiastico Officio B. Mariae Virginis Caesaraugustanae (vulgo *del Pilar*) ageretur, licet munere *Promotoris Fidei*, quo tunc fungebatur, Jacobi in Hispaniis Praedicationem impugnare debere videretur, ne petita Officii venia permitteretur, tamen suae parti se non defuturum putavit, si veritatis gratia Hispano populo illam potius ut rem jam judicatam concederet, eique libenter assentiretur his conceptis verbis (1). *At quoniam tempore Urbani VIII. pluribus ex Hispania allatis doctissimis Scriptis, post rem mature & diu examinatam, antiqua narratio, quae fuerat a Breviario Romano ablata, fuit iterum in eodem inserta ... uti historiam mutationis, & successivae restitutionis plene narrando testatur Raynaldus Protonotarius Apost. ad annum 1625. hinc est, quod . . . in eo quod attinet ad punctum adventus, & praedicationis S. Jacobi in Hispania, libenter subscribo.*

F I N I S.

(1) Apud Miranda *en el Propugnaculo de las tradiciones pag.* 412. & Florezium *d. tom.* 3. *cap.* 3. *n.* 53. *in fine not.* 3.





